

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam  
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617789**

Caput CLXV. Christus Actum Ipsum ET Processum Extremi Judicii Apostolis  
Describit.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18162**

## CAPUT CLXV.

CHRISTUS ACTUM IPSUM ET PROCESSUM  
EXTREMI JUDICII APOSTOLIS DESCRIBIT.

MATTH. 25. v. 31. LUC. 21. v. 37.

## RATIO ORDINIS.

**M**agna omnino Evangelistæ Matthæo hoc nomine debetur gratia, quod non solum prolixam illam concionem, quam Christus in monte quodam Galilææ in principio Ministerii sui habuit (ac verum legis divinæ sensum in ea discipulis & reliquis auditoribus suis exposuit) Matth. 5. 6. & 7. sed etiam sermonem æquè prolixum, quem Christus in monte oliveti in fine Ministerii sui instituit, ac de novissimo suo adventu & extremo judicio, (in quo legis divinæ executio fiet) eosdem in eo sufficientissimè instruxit Matth. 24. & 25. ex professo annotare, & uberius, quàm à reliquis Evangelistis factum, describere voluerit. In hoc posteriore sermone restat ultima pericope, in qua egregia ipsius actus & processus judiciarii die novissimo die instituendi *ἡ συνουσία* continetur. Postquam enim Christus quatuor distinctis parabolis Apostolos docuerat, quomodo ad novissimum suum adventum, cujus occasione quæstionis ab Apostolis de excidio Hierosolymæ & consummatione seculi motæ, mentionem fecerat Matth. 24. v. 3. 27. 30. 39. 42. & 44. Itemque ad extremum judicium novissimo isti adventui immediatè conjunctum cap 25. v. 10. sese præparare debeant, videlicet quod exemplo *patrisfamilias* irruptionem furis nocturnam metuendis debeant esse *vigiles* Matt. 24. v. 43. exemplo *æconomi* super familiam Domini sui constituti, ut det illis cibum iusto tempore, *fideles*, v. 45. exemplo *virginum* oleo ad lampadum lumen sufficiente instructarum, *prudentes*. Matt. 25. vers. 4. exemplo *servorum* acceptis à Domino talentis negotiantium & lucrantium, *fructuosi & utiles* v. 2. & 23. jam tandem coronidis loco sine parabolæ involucri novissimi sui adventus qualitatem & extremi illius judicii formam ac processum verbis claris & perspicuis ob oculos ipsis ponit, quæ descriptio perquam graphica emphatica eundem cum præcedentibus parabolis scopum obtinet, videlicet quod fidem per caritatis opera exercere & eâ ratione itidem ad universale illud judicium sese præparare debeant. 2. Petr. 3. v. 14. Sanè quibusdam videtur, etiam hanc pericopen ultimam, parabolarum classi esse accensendam, parabolicum enim est 1. quod se vocat *Regem* in throno gloriæ sedentem & *Pastorem* gregem suum dividentem. 2. quod pios comparat *ovibus*, impios verò *hædis*. 3. quod illos *ad dextram*, hos vero *ad sinistram* collocandos esse asserit. 4. quod & pii & impii sententiæ judiciariæ exceptionem quandam dicuntur opposituri. 5. quod exceptioni illi iudex dicitur responsurus. Accedit, quod cum prioribus parabolis nexu immediato con-

jungatur, ac proinde à Gregorio Nazianzeno in carmine de parabolis Matthæi & in carmine de quatuor parabolis Evangelistarum in parabolarum censum referatur, sic enim inter cætera loquitur. *Committit Christus servis non æquis talenta, Levâ hædi, dextra parte locantur oves.* Quibus omnibus Auctor imperf. operis & Lyranus permoti videntur, ut hanc quoque concionis partem *parabolam* vocarent. Sed rectius dicitur, non parabolam, sed veram rei aliquando gerendæ Historiam, luculentam scilicet extremi judicii descriptionem, in his verbis nobis proponi. Quamvis enim *aliquid parabolicum* vel potius similitudinarium eidem sit intermixtum, ex eo tamen evinci nequit, quod hæc tota concio sit parabolica, sed est illustris hypotyposis & quasi profopopæia quædam, in qua Christus ipsum novissimi sui adventus & extremi judicii actum veluti humanis quibusdam coloribus per *συγκατάβασην* ad captum nostrum se accommodando depingit. Chryostomus homil. 80. in Matth. *Non dicit, simile est regnum celorum, sed seipsum ostendens atque revelans dicit. Cum venerit filius hominis &c.* In ordinis serie etiam quædam occurrit diversitas. Quidam enim hanc pericopen conjungunt cum verbis illis Christi, in quibus novissimi adventus sui mentionem facit. Matth. 24. vers. 30. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute & gloria multa.* Marc. 13. vers. 26. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate multa & gloria.* Luc. 21. vers. 27. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate & gloria magna.* Quâ ratione hæc pericope informationi, quomodo discipuli ad illum adventum sese præparare debeant, ac parabolis ad informationem illam spectantibus præmitteretur. Quamvis verò hic ordo satis concinnus videatur, cum id ipsum, quod Christus ibidem brevibus completur, dicens, *filium hominis venturum in nubibus cæli cum virtute & gloria multa, & Angelos congregaturos esse electos à quatuor mundi partibus &c.* in hac pericope latius explicetur, quod scilicet *filius hominis* sessurus sit super thronum gloriæ suæ, quodque ante ipsum ministerio Angelorum congregandæ sint omnes gentes, moxque iterum in duas classes segregandæ, earum una ad dextram, alterâ ad sinistram collocata, ut finalem & decisivam judicis sententiam utraq; audiant &c. nullâ tamen necessitate cogimur, ab ordine, quem Matthæus observat, hic discedere. Commodè enim statui potest, quod Christus post seriam & maximopere necessariam exhortationem ad vigilantiam velut post prolixam quandam digressionem, jam redeat

Eccc

ad ube-

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

ad uberiorem explicationem illorum verborum, *Tunc videbunt filium hominis venientem &c.* Res ipsa enim testatur, in superiore Christi concione verba ita invicem coherere, ut proluxa isthac pericope, quam præ manibus habemus, non satis congruè ei inferri possit. Valde enim absurdum foret, clausulæ hujus pericopes: *Eribunt damnati in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam* subjungere ea, quæ ibi sequuntur. *His autem fieri incipientibus attollite capita vestra.* Item *cum videritis hæc omnia, scitote, quod appropinquet regnum Dei.* Quando enim finalis sententia in iudicio jam promulgata ac impij in infernum detrusi, pii verò in cælum subvecti erunt, non amplius appropinquabit redemptio piorum & regnum Dei, sed jamdum erit consummata redemptio & possessio regni plenaria pijs erit concessa. Persistemus igitur in ordine, quem Matthæus monstrat, qui de multis utiliter nos potest monere. 1. Sicut Christus in duabus parabolis proximè præcedentibus exemplum damnationis proposuerat *in virginibus fatuis* tempore adventus Sponsi oleo ad fovendas lampades minimè instructis & *in servo orioso*, qui ex talento sibi concedito nullum fecerat lucrum: sic in hac pericope itidem exemplum damnationis proponit in illis, qui non fecerunt opera misericordiæ, per quæ fidei suæ lucem in publicum proferrent. Ut ergo duæ præcedentes parabola directæ sunt contra eos, qui per omissionem peccant: ita quoque contra eosdem præsens Christi concio est directæ, unde etiam eisdem immediatè à Matthæo subjungitur. 2. Sicut in tribus præcedentibus parabolis magna fit dissimilitudo. Servus fidelis & prudens dans cibum Dominicæ familiæ tempore oportuno, super omnia Domini sui bona constituitur; servus malus, percussor & potator partem cum hypocritis sortitur; Virgines prudentes oleum in lampadibus habentes intrant cum sponso ad nuptias, fatuæ ab illis excluduntur; Servi fideles, qui ex talentis sibi concessitis lucrum Domini promoverant, intrant in gaudium Domini sui, servus malus & piger ejicitur in tenebras exteriores, ubi fletus ac stridor dentium: sic præsens pericope docet, oves Christi, id est, verè fideles & pios in operibus misericordiæ fructuosos ad regni cœlestis consortium ab ipso esse invitandos, hædos verò, id est, incredulos & impios ad omne opus bonum infrugiferos in æternum supplicium esse ablegandos. 3. Virgines prudentes oleo in lampadibus lucente instructæ admittuntur ad gaudia nuptialia, servi talentis ad lucrum comparandum uli intrant in gaudium Domini sui. Ut autem intelligeretur, quid per oleum in lampadibus & lucrum ex talentis in sensu mystico accipiendum sit, voluit Christus præsentem concionem subjungere, in qua ostendit, eos oleum in lampadibus habere, qui fidem suam per dilectionem & opera misericordiæ declarant, ac re ipsâ testantur, fidem suam non esse hypocriticam & mortuam sed veram & vivam; ac lucrum, ex talentis comparare, qui spiritualia misericordiæ opera exercent proximis docendo, monendo, corrigendo, consolando &c. ut hac ratione multorum animas Christo lucrificiant. 4. In parabola proxima de talentis dixerat Christus, se certo tempore redditurum ac rationes

à servis suis exacturum, Matth. 25. v. 19. illud ipsum latius jam explicat, ac totum processum rationum exigendarum oculis Apostolorum subjicit. Autor imperf. operis homil. 53. quidem statuit de alio Christi adventu sermonem esse in præcedente parabola, quàm hoc loco, ibi enim agi de adventu spirituali & quotidiano, hic verò de visibili & ultimo, idque probat ex eo, quod peccator in præcedente parabola non mittatur in ignem, nec in pœnam aliquam, sed tantum in tenebras exteriores, id est, cœcitate mentis, peccatorum & hæresium causam; hic verò & in ignem & pœnas mittatur; quod iustus in præcedente parabola jubetur intrare in gaudium, id est, pacem & quietem conscientie, hic verò in regnum; denique quod non sit verisimile, peccatores in secundo Christi adventu, quando terribiliter cum gloria veniet, ipsi dicturos. *Sciebam, quod homo durus sis, metens ubi non seminasti.* Sed argumentis hijs tantum roboris ac ponderis haudquaquam inest, ut à communi interpretatione, quæ scopo & contextui parabola, uti etiam antecedentibus ac consequentibus maximè congruit, quæ de novissimo Christi adventu etiam ista parabola accipitur, nos dimovere debeant. Tenebræ enim illæ exteriores, in quas peccator mittitur, sic describuntur, quod ibi sit fletus ac stridor dentium, quàm esse infernalium cruciatuum descriptionem, suo loco ostendimus. Nec est reale discrimen inter gaudium, in quod fidelis servus jubetur intrare in parabola præcedente, & inter regnum, ad quod vocatur electi in hac pericope, sed intrando in gaudium Domini participes sunt regni gloriæ, & immixti in possessionem regni eo ipso intrant in gaudium Domini, non enim simpliciter vocatur gaudium, sed *Domini gaudium*, quo scilicet ipse beatus in seipso gaudet & per beatificam sui visionem electis illud communicat. Quod si alicui præpositum videatur, impios in die iudicii Domino dicturos. *Sciebam, quod homo durus es &c.* illi quæ absurdum videri posset, eosdem iudici responsuros. *Quando te vidimus esurientem & non pavimus te?* sic; eodem argumento evincere posset, etiam in hac concione non agi de novissimo Christi iudicium adventu, cum tamen Sole clarius sit, de eo unice hic agi. 5. Sicut in proximè præcedente parabola servus fidelis jubetur intrare in gaudium Domini, ut significetur magnitudo & incomprehensibilitas gaudii electis parati, quod scilicet gaudium futurum sit ipsorum quasi cubiculum, quo circumquaq; cingendi, ac nihil nisi gaudium percepturi: sic *carum* impij in hac concione dicuntur intraturi in supplicium æternum, ut significetur magnitudo & incomprehensibilitas supplicii damnatis parati, quod scilicet supplicium itidem futurum sit ipsorum quasi cubiculum, quo circumquaq; ambiendi, ac nihil nisi supplicium percepturi. 6. Sicut in præcedente parabola servus malus & piger frustra se excusat de talenti absconitione: sic damnati in iudicio dicuntur hic semetipsos frustra excusaturi de operum misericordiæ omissione. 7. Præcedentes parabola tantum ad Christianos pertinent, quibus oleum verbi & fidei ac talenta spiritualia, hoc est, varia gratiæ dona ad lucrum spirituale faciendum divinitus sunt data. Ne quis igitur cogitaret, de solis Christianis ad Ecclesiæ consortium vocatis in iudicio

judicio actum iri, ideo Christus in hac concione generaliter dicit, omnes omnino gentes, id est, omnium temporum & locorum homines, sive fuerint in Ecclesia, sive extra Ecclesiam, aliquando coram ipsius tribunali esse congregandas, ut judicariam audiant sententiam. 8. Christus prolixam ad discipulos suos in monte oliveti habitam concionem hisce verbis processum judicii extremi graphicè describentibus concludere voluit, ut eundem discipulorum animis probe infingeret, ne ullo unquam tempore ejus oblivio ipsis obreperet. Quod omnium rerum erit ultimum, illud etiam Christus in hoc sermone suo voluit esse ultimum, Oratores conclusionem panegyricarum concionum solent eo modo adornare, ut aculeos in animis auditorum relinquunt. Pari ratione cœlestis orator Christus Jesus hoc ultimo concionis montanæ membro in-

animis Apostolorum & nostrum omnium aculeos relinquere voluit. 9. Christus cum jam passioni & morti, id est, imo exinanitionis gradui esset proximus, de glorioso suo ad judicium adventu, id est, de summo exaltationis gradu tam prolixum sermonem ad discipulos habuit, nimirum qui per passionem intravit in gloriam Luc. 24. v. 26. suo etiam nos docuit exemplo, quod in cruce hujus vitæ transitoria oculis elevare debeamus ad lucem vitæ æternæ. Hieronymus addit, quod occurrere voluerit scandalo discipulorum ex ignominia crucis in ipsorum cordibus orituro. Post biduum (inquit) pascha facturum, & tradendus cruci & illudendus ab hominibus & aceto & felle potandus, rectè præmittit gloriam triumphantis, ut securum scandala pollicitationis præmia compensaret.

DESCRIPTIO IPSIUS ACTUS ET PROCESSUS EXTREMI JUDICII DISCIPULIS SUI A CHRISTO PROPOSITA.

MATTH. 25.

- 31. Ὅταν ᾗ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτῆ, καὶ πάντες οἱ ἄγγελοι ἀγγελοὶ μετὰ αὐτῆ, τότε καθίσει ὁ θῆθρον δόξης αὐτῆ.
- 32. Καὶ συναχθήσονται ἔμπροσθεν αὐτῆ πάντες τὰ ἔθνη, καὶ ἀφορέσει αὐτὰς ἀπ' ἀλλήλων, ὡς περὶ ὁ ποιμὴν ἀφορέσει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων.
- 33. Καὶ ἐθήσει τὰ ἀμνοὺς ἐξ ἄ δεξιῶν αὐτῆ πρὸς τὴν ἐρίφω ἐξ ἄωνύμων.
- 34. Τότε ἐρεῖ ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐκ δεξιῶν αὐτῶν, Δεῦτε οἱ ὀλορηθῆναι ἔπαυσε με, καὶ κληρονομήσατε τὸν ἥτοιμασθῆναι ὑμῖν βασιλείαν τοῦ πατρὸς ἡμῶν.
- 35. Ἐπεὶ ναὶ ἔδωκατέ μοι φαγεῖν ἐδίψησα καὶ ἐπίστισατέ με. Ζενοὺ ἡμῶν, καὶ σωθήσετέ με.
- 36. Ἦνυμι, καὶ περιεβάλετέ με, ἠδένησα, καὶ ἐπισκέψασθε με ἐν φυλακῇ ἡμῶν, καὶ ἠλθέτε πρὸς με.
- 37. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτοὶ οἱ δίκαιοι λέγοντες, Κύριε, πότε σε εἶδομεν πεινῶν καὶ ἐδίψησαν; καὶ ἐπιστάμεν;
- 38. Πότε ἤ σε εἶδομεν ξένον καὶ σωθήσετέ με; ἢ ἡνυμι καὶ περιεβάλετέ με;
- 39. Πότε δὲ σε εἶδομεν ἀδένη, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ ἠλθέτε πρὸς με;
- 40. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐρεῖ αὐτοῖς, Ἀμῶν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον ἐποίησατε ἐν ταύταις ταῖς ἀδελφῶν με τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποίησατε.
- 41. Τότε ἐρεῖ καὶ τοῖς ἐξ ἄωνύμων. Πορῶθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, ἠθιμασθῆναι τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγελοῖς αὐτοῦ.
- 42. Ἐπεὶ ναὶ ἔδωκατέ μοι φαγεῖν, ἐδίψησα, καὶ ἐπίστισατέ με.
- 43. Ζενοὺ ἡμῶν, καὶ σωθήσετέ με. Ἦνυμι, καὶ περιεβάλετέ με. ἀδένη, καὶ ἐπισκέψασθε με.
- 44. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτοὶ καὶ αὐτοὶ, λέγοντες, Κύριε, πότε σε εἶδομεν πεινῶν, ἢ ἐδίψησαν, ἢ ξένον, ἢ ἡνυμι, ἢ ἀδένη, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ ἐδικονήσατέ μοι;
- 45. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτοῖς, λέγων. Ἀμῶν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον ἐποίησατε ἐν ταύταις ταῖς ἐλαχίστων, ἐδὲ ἐμοὶ ἐποίησατε.
- 46. Καὶ ἀπέλθουσιν εἰς κόλασιν αἰώνιον. οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.

- 31. Cum autem venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem glorie sue.
- 32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes & separabit eos alteros ab alteris, sicut Pastor segregat oves ab hædis.
- 33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.
- 34. Tunc dicet Rex his, qui à dextris sibi erant. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab exordio mundi.
- 35. Esurivi enim, & dedistis mihi edere: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes enim, & collegistis me.
- 36. Nudus, & operuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere enim, & venistis ad me.
- 37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus? aut sitientem, & dedimus tibi potum?
- 38. Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus? aut nudum, & cooperuimus?
- 39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?
- 40. Es respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis; quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.
- 41. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.
- 42. Esurivi enim, & non dedistis mihi cibum: sitivi, & non dedistis mihi potum.
- 43. Hospes enim, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere eram & non visitastis me.
- 44. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?
- 45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, me quatenus non fecistis uni de his minimis, nec mihi fecistis.
- 46. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi verò in vitam æternam.

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda

Eccc 2

37. H



37. Ἡ ἡ πῆς ἡμέρας ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων, πῆς ἡ νύκτας ἐξερχόμενος ἠυλιζέτο εἰς τὸ βῆμα καλεῖσθαι ἐλαίων.

38. Καὶ πῆς ὁ λαὸς ἄρθρηζε πῆς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ ἀκέειν αὐτῶ.

37. Docebat autem interdum in templo, noctu vero exiens diversabatur in monte, qui vocatur olivarum.

38. Et omnis populus diluculo veniebat ad eum, ut in templo audiret eum.

### Exegesis hujus Concionis.

**D**EUT. 27. v. 4. & seqq. præcepit Deus Israelitico populo, cum in deserti exilio adhuc oberraret. *Quando transferitis (Jordanem) erigite lapides (ingentes) in monte Hebal & edificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, & scribes super lapides omnia verba legis hujus bene, perspicue &c. Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim Jordane transmissio. Simeon, Levi, Judas, Isaschar, Joseph & Benjamin. Et è regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal, Ruben Gad & Aser, Zabulon, Dan & Naphtali. Jos. 8. v. 30. & seqq. describitur complementum hujus divinæ constitutionis, & additur, quod omnis populus steterit ex utraque parte arca, in conspectu Levitarum, qui portabant arcam fœderis, media pars eorum juxta montem Garizim & media juxta montem Hebal, quodque (Josua) legerit omnia verba benedictionis & maledictionis juxta ea, que scripta fuerunt in volumine Moysi. In hac Ceremonia inter reliquos fines imaginem quandam extremi judicii præfiguratum esse docet Rupertus Abbas in comment. illius loci. *Judicium universale (inquit) quod continuo passurus clarâ voce pronunciat Dei Filius Matth. 25. vers. 31. & seqq. continuo moriturus in umbra & sub velamine suo proberat Moses Dei famulus. Illic dextra Regis & sinistra divisis ac separatis ovibus ac hædis: hic duo colles contrâ invicem aspicientes. Garizim & Ebal, quorum Garizim divisionem interpretaris, Ebal verò deficientem seu determinantem seu veterem voraginem. Illic sex opera misericordie dextris ad benedicendum, & sex impietatis sinistris ad maledicendum: hic sex nomina filiorum Israel in monte Garizim itidem ad benedicendum & sex nihilominus in monte Ebal ad maledicendum, hoc est, in Evangelio duodecim judicantium sedes, & hic in lege, quasi singulis sedibus prolata hinc duodecim benedictionis, illinc duodecim maledictionis. Igitur clarissimè & in isto Legi consonum est Evangelium, quia judicium unum idemq; & hic in umbra legis signatum, & illic in Evangelica luce revelatum est. Potest autem hic typus latius deduci,**

1. Quemadmodum semel tantum in totius populi conspectu benedictiones & maledictiones istæ solenniter fuere recitatae, sic semel tantum universale omnium hominum conspectu instituetur judicium. 2. Quemadmodum benedictiones & maledictiones recitatae fuerunt post introductionem in terram promissam: sic cum universali judicio immediate conjuncta erit piorum ex deserto hujus mundi introductio in hæreditatem cœlestem per terram Canaan præfiguratum. 3. Quemadmodum arca fœderis in medio stetit, quando maledictiones & benedictiones recitatae: sic Christus per arcam fœderis præfiguratus erit in medio judicandorum, quorum quidam audient. *Venite benedicti, quidam verò, Ite maledicti.* 4. Quemadmodum Josua dicitur legissa

omnia verba maledictionis & benedictionis, quia scilicet curavit & ordinavit, ut per Levitas legerentur: sic cœlestis Josua Christus Jesus in die novissimo verbum benedictionis, *Venite benedicti*, & verbum maledictionis, *Ite maledicti*, pronunciat. 5. Qui in monte Garizim stabant ad benedicendum, id est, ad respondendum verbis benedictionis à Levitis prolati, illorum patres nati erant ex liberis uxoris Jacobi videl. ex Lea & Rachel. Sic illi demum verbum benedictionis audient in die novissimo, qui Spiritum libertatis ex Evangelio acceperunt, qui sunt filii promissionis Rom. 9. v. 8. Gal. 4. v. 28. secundum Spiritum nati v. 29. filii libertatis v. 31. 6. Qui in monte Hebal stabant ad maledicendum, id est, ad respondendum verbis maledictionis à Levitis prolati, illorum patres nati erant ex ancillis, videl. ex Bada & Zelpha excepto Rubeno, quicum filiis ancillarum conjungitur, propterea quod cum ancilla patris sui concubina incestuosâ commixtione concubisset, ac Zabulone, omnium ex Lea natorum postremo: sic maledictionis verbum audient in novissimo judicio, qui sunt secundum carnem Gal. 4. v. 29. qui secundum carnem vixerunt Rom. 8. v. 5. & 13. nec per veram fidem ad Evangelium, & Spiritum libertatem aspirarunt, sed in lege justificari voluerunt Gal. 5. 4. 7. Quemadmodum quidam Israelitarum in solenni isthac benedictionis & maledictionis promulgatione steterunt à dextris quidam verò à sinistris respectu arca fœderis in medio collocata: sic quando Christus judex in die novissimo dicitur, *venite benedicti, ite maledicti*, tunc iusti statuentur à dextris, qui rectè intelliguntur præfigurati per filios liberarum, eò quod cœlestem affecturi sint hereditatem, impii vero statuentur à sinistris, qui rectè intelliguntur præfigurati per filios ancillarum & concubinarum, eò quod exclusi ab hereditate cœlesti hujus tantum vitæ bona velut munera quædam acceperunt, sicut de filiis ex Cethura & Hagar genitis dicitur Gen 25, 6. quod Abraham illis largitus fuerit munera & separaverit eos ab Isaac, cui dedit cuncta, quæ possidebat. 8. Quemadmodum non tantum Israelitæ admitterentur ad audiendas benedictiones & maledictiones, quæ in observatores vel transgressores legis divinæ erant pronunciantia, sed omnes quotquot sese etiam ex aliis gentibus oriundi cum gentilibus conjunxerant Deut. 27, 15. Jos. 8. v. 33. sic in extremo judicio ad audiendam benedictionis vel maledictionis sententiam congregabuntur omnes gentes non solum illi, qui fuerunt in Ecclesia, sed etiam qui fuerunt extra Ecclesiam. 9. Quemadmodum exordium solennis illius recitationis factum fuit à benedictione, ita Christus in judicio prius dicit. *Venite benedicti*, & postea demum subjunget. *Ite maledicti*. De hoc extremi judicii actu & processu ex professo agitur in præsentate pericope, cujus partes sunt tres. Prima exponit causam efficientem judicii videl. ipsum judicem, qui



secundum humanam Naturam, particula enim ὅτι h. l. non est ἀπολογία, sed διορκισμὸς ac δεικτικὸς ostendens Naturam, cujus respectu potestas illa iudicialis Christo in tempore dicitur communicata, quæ omnia pluribus exposta & dictis Patrum illustrata sunt in tract. de judic. §. 29 & 30. Quando igitur Christus hoc loco dicit, *cum venerit Filius hominis*, non negat se in personæ unitate esse etiam verum Deum, nec negat se etiam secundum divinam Naturam iudicium administraturum, nec derogat ἀυτοκρατορίαν κριτικὴν reliquis duabus divinitatis personis, Patri & Spiritui sancto, cum administratio iudicii sit opus ad extra ac proinde indivisum, id est, omnibus tribus Deitatis personis commune, cumque Deus dicatur orbem iudicaturus Deut. 32. v. 36. Pf. 9. v. 8. Pf. 50. v. 6. &c. quod nomen διορκισμὸς acceptum Patri, Filio & Spiritui S. æqualiter competit, deniq; cum & Patri El. 3. v. 22. Dan. 7. v. 9. Joh. 8. v. 50. Act. 17. v. 31. &c. & Spiritui S. Ela. 4. v. 41. iudicium illud tribuatur, sed hoc duntaxat docet, quod potestas iudicii faciendi κατ' αὐτοκρατορίαν & ἐνδοκίαν omnibus tribus Deitatis personis propter ὁμοσιαν communis, κατ' οἰκονομίαν ipsi ut Θεοανδρωπῶν iudici divinitus constituto peculiariter competat, propterea quod visibiliter in assumpta Natura humana & immediatè hoc iudicium sit administraturus, in nubibus pro tribunali sessurus, ab omnibus videndus & audiendus, sententiam definitivam publicè promulgaturus, eandem executioni statim daturus ac proinde tum ὁρατῶς tum αἰσθητῶς iudicium illud cum omnibus suis partibus & actibus peracturus. Sic ergo Filio tribuitur iudicium non *exclusivè* nec *oppositè*, sed per quandam appropriationem. Toti Trinitati tribuitur iudicium quoad potestatem iudicialiam, domini um, autoritatem & decretum, Filio peculiariter assignatur, quoad visibile & externum exercitum. Quare verò Christus secunda Trinitatis persona in tempore verus homo factus iudicii ad ministrandi partes in se suscepit, ejus rei variæ causæ assignari possunt. 1. Christus est *sapientia* Patris ab ipso genita, est *virtus* Dei & *veritas*. Jam verò iudicium debet fieri in sapientia, virtute & veritate. 2. Iudex hominum debet ab hominibus conspici & audiri. Ergo placuit Deo iudicium institui per hominem. 3. Christus preciosissimo suo sanguine omnes homines redemit ac omnibus salutem promeruit, meritò igitur iudex erit eorum, qui oblatam in Evangelio salutem repudiarunt. 4. Christus propter nos & nostram salutem se ita exinanivit, ut injustè fuerit iudicatus, inde Pater eum ita exaltavit, ut justè omnes iudicet. Augult. serm. 64. de verb. Domini. *Iudex hic erit filius hominis, forma illa hic iudicabit, que iudicata est; sedebit iudex, qui stetit sub iudice; damnabit veros reos, qui factus est falsus reus.* 5. Pater dedit Filio potestatem omnis carnis Joh. 17. v. 2. *dedit omnia in manus ejus Joh. 3. v. 35. tradidit ipsi omnia. Matth. 11. v. 26.* utique ergo etiam iudicii administratio ipsi competit. 6. Nunc nondum *videmus omnia Christo subjecta* Heb. 2. v. 8. Quia ergo omnes viderunt in eo passionis ignominiam, æquum est, ut omnes etiam in die iudicii videant ejus gloriam. 7. Cedet hoc piis in gaudium & consolationem, quod iudicium administrabitur non in nuda, Deitate, quæ est ignis consumens, sed per eum, qui est frater noster. 8. Contrà verò *videbunt impij,*

*gaem confixerunt, quod cedet in extremum eorum opprobrium & exitium* Zach. 12. v. 10. Joh. 19. v. 37. Apoc. 1. v. 7. Prosper in sent. Aug. 337. *illa Natura erit iudex, que sub iudice stetit &c. ut videant impij ejus gloriam, in cujus mansuetudinem fremuerunt. Talis ergo apparebit iudex, qualis videri possit ab iis, quos coronaturus & ab iis, quos damnaturus est.* Pontificii addunt, quod Christus hanc potestatem iudicialiam suâ passione sibi promeruerit. Sed quid hac de re statuendum sit, exposuimus in Exegefi tom. 1. Loc. §. 30. Ex qua hypothese, quod Christus non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam Naturam iudex sit futurus, in tract. de jud. §. 32. *παραστατικῶς* collegimus, Christum secundum humanam Naturam esse 1. *omniscium*, cum etiam de internis cogitationibus iudicium sit institutum 1. Corinth. 4. v. 5. 2. *veracem & iustum*, cum iudicaturus sit in *justitia & veritate* Actor, 17. v. 31. Rom. 4. v. 5. 2. Tim. 4. v. 8. 3. *omnipotentem*, quia mortuos iudicio sistendos verbo potentia suæ ex sepulchris evocabit Joh. 5. v. 29. evocatos unâ cum illis, quos novissimus dies deprehendet vivos, solo nutu ad tribunal suum congregabit, Matt. 24. v. 31. congregatos in duas partes, oves sc. ab hædis ut fidelis pastor discernendo segregabit, electos ad dextram, reprobos ad sinistram collocabit, ac sententiam definitivam sine ulla mora in utrisque executioni mandabit. 4. *omnipresentem, quia videbit eum omnis oculus* Zach. 12. v. 10. Apoc. 1. v. 7. 5. *περὶ κλητῶν adorabilem*, quia coram ipso omnes genua stent Ela. 45. v. 23. Rom. 14. v. 12. Philip. 2. v. 10. 6. *divinâ maiestate & gloriâ infinitâ pradium*, quia, expressè dicitur venturus ἐν δόξῃ divinâ scil. & infinitâ, ut opera ipsa manifestum faciant, quæ omnia opponenda esse diximus. 1. *Mahumetani* negantibus Christum futurum esse iudicem in die novissimo, 2. *Davidi Georgio* Hollando, qui inter alias blasphemias docuit, *se esse illum, qui in extremo iudicio totum mundum sit iudicaturus.* 3. *Pontificii* Christo iudici B. Virginem, tum ut potestatis ἀυτοκρατορικῶς iudicandi participem, tum ut priorum patronam, mediatricem ac liberatricem ad iungentibus; contrà verò divinam & infinitam potestatem iudicium faciendi Christo secundum humanam Naturam personaliter communicatam esse negantibus. 4. *Calviniani* multis ac variis modis gloriæ Christi hominis mundum iudicaturi detrahentibus, ac ex iudice principali Notarium vel Secretarium iudicis facientibus. Conf. d. tract. §. 33.

2. *à divina*, in qua apparebit, *maiestate.* Cum venerit Filius hominis in gloria sua, Matth. 24. v. 30. Marc. 13. v. 26. Luc. 21. v. 27. dicitur venturus ἐν δόξῃ. Quidam igitur statuunt ἐν hic positum pro *ἐξ*, respondet enim Hebræorum *ex* quod quandoq; ponitur pro *cum* Exod. 15. 19. Deut. 6. 7. 1. Sam. 1. v. 24. Pf. 60. 12. Of. 5. 6. &c. in qua significatione etiam in Nov. Test. accipitur Act. 7. 33. 8. &c. sed utrumq; locum habet, videl. quod Christus venturus sit *cum gloria*, id est, quod externis adjunctis & effectis gloriæ suam sit demonstraturus, & quod venturus sit *in gloria*, id est, quod gloria illa ac maiestas, in qua conspicitur, sit ipsi ventura interior, unde notanter hic dicitur, quod venturus sit ἐν δόξῃ αὐτῆς & in gloriâ sibi propriâ. Quidam hanc gloriam quarunt in antecedentibus iudicii, quod horribilia tonitrua, fulgura, ignium flammæ ipsius adventum præcel-

præcæstura Psal. 50. v. 3. Mal. 4. v. 1. &c. quidam in corpore Christi, utpote glorificati, splendore, quidam in Angelorum comitatu, quidam in regali super thronum judicarium consessu, &c. hæc omnia rectè quidem dicuntur, si de exterioribus hujus gloriæ indicii & signis queratur, sed interim necessariò addendum, quod venturus sit in gloria sibi interiore ac propria, ab omnium hominum sensu ac captu remotissima. Erit enim hæc gloria *δοξα αὐτῆς*, id est, ipsi propria, quam nulla creatura ac ne quidem ipsi Angeli cum ipso communem habent. Dicitur quidem etiam venturus in gloria Angelorum Luc. 9. v. 26. sed hoc nequaquam eo sensu accipiendum, quasi in die judicii futura sit eadem Christi & Angelorum gloria (cujus contrarium ex sequentibus elucebit) sed quod Angeli cum Christo ad judicium velut apparitores venturi futuri sint ministri ac testes divinæ illius gloriæ, in qua judex conspicietur. Sicut in aula regia est alia gloria Regis, alia ministrorum regionum, alia ipsius regis arcis: sic in die judicialia erit gloria Angelorum & hominum beatorum, alia cœli novi ac terræ novæ, sed illis omnibus longè major erit Christi, utpote judicis ac Regis gloria. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. *Quid est & sanctorum Angelorum, nisi quod honorantur & servi Domini?* Quod si vel maximè concedamus, Christum eo sensu dici venturum in gloria Angelorum, quod gloriam illam, in qua & cum qua ad judicium veniet, certâ ratione habiturus sit cum Angelis communem, tamen ab inclusione gloriæ finitæ & creatæ habitualiter Christo secundum humanam Naturam competentis non potest argumentum duci ad exclusionem gloriæ infinitæ & increatæ personaliter ipsi ut homini communicatæ. Quod enim sublimior quædam gloria, quam est sanctorum Angelorum gloria, Christo in die judicii competat, manifestè patet 1. ex pronomine reciproco *αὐτῆς*. Veniet in sua, id est, sibi propria gloria, se ut judicem decente. Jam verò habitualis gloria, quam cum Angelis communem habet, non est ipsi propria. 2. ex eo, quod dicitur, venturus in gloria Patris Matth. 16. v. 27. Marc. 8. v. 38. Luc. 9. v. 26. hoc est, quam cum Patre communem habet, quæ non potest esse alia quam divina, increata & infinita gloria. Illa ipsa enim gloria, quam ut verus Deus cum Patre ab æterno communem vel potius eandem habet essentialiter, ipsi secundum humanam Naturam in tempore communicata est personaliter, Johan. 17. vers. 5. & in ea ad judicium veniet. Jam verò gloria illa, quam ut verus Deus cum Patre ab æterno communem vel potius eandem habet essentialiter, non est nec esse potest alia, quam verè divina, æterna, infinita & increata gloria. Ergo. Ac probè hoc loco notandum, quod si finita duntaxat gloria inter gloriam Patris & Angelorum, quali intermedia Christo competeret, tum Christum verba sua Luc. 9. v. 26. sic informasse, quod venturus sit filius hominis in gloria Patris & suæ & Angelorum. Jam verò gloriam suam, in qua & cum qua se venturum asserit, primo loco ponit & Patris & Angelorum gloriam eidem ratione ordinis subjungit, ne quis ullam inæqualitatem ac dissimilitudinem inter Patris & Filii gloriam cogitaret. 3. ex ipsius Christi explicatione. Statim

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

enim Christus ipse explicat, quâ ratione hoc intellectum velit. quod venturus sit in gloria, nimirum quod *sessurus sit super sedem gloriæ suæ*, ubi thronum divinæ & infinitæ gloriæ intelligendum esse paulò post demonstrabitur. 4. ex indicii & effectis illius gloriæ. Quemadmodum enim potentiam illam divinam, cum qua veniet, demonstrabit in mortuorum resurrectione, in vivorum & resuscitatorum ad tribunal suum congregatione, in omnium judicandorum subjectione, in sententiæ judicariæ promulgatione & executione, in totius universi destructione, ac cœli novi & terræ novæ creatione &c. sic divinam illam & sibi propriam, in qua & cum qua veniet, gloriam demonstrabit in corporis sui claritate, in tribunali judicarii sublimitate, in Angelorum comitantium comparitione, in omniscientiæ suæ demonstratione, ut superius in cap. 161. ostendimus, Jam verò hæc adjuncta & effecta illius gloriæ manifestò testantur, eam fore gloriam merè ac verè divinam, infinitam & immensam. 5. ex collatione parallelorum locorum. Gloria illa, in qua & cum qua Christus ad judicium veniet, est omnino eadem gloria cum ea, quam in diebus carnis suæ per miracula ostendit Joh. 2. v. 11. (ubi itidem vocatur *δοξα αὐτῆς*) quam in transfiguratione Apostolis suis ostendit Luc. 9. v. 32. 2. Petr. 1. v. 17. in quam per passionem est ingressus Luc. 24. v. 26. quam Apostoli viderunt esse gloriam tanquam unigeniti à Patre Joh. 1. v. 14. 1. Joh. 1. v. 1. imò quam Propheta longè ante incarnationem ipsius viderunt Joh. 12. v. 41. imò quam habuit apud Patrem, antequam mundus crearetur Joh. 17. v. 5. Jam verò illa non est nec esse potest alia quam divina, infinita & increata gloria. Ergo etiam gloria illa, in qua & cum qua Christus ad judicium veniet, est verè divina, infinita & increata gloria. Quando igitur Christus h. l. dicit, se venturum in gloria sua, verè divina & infinita, tum hoc opponit humilitati & contentui primi sui adventus, ut sit sensus. Veniet quidem filius hominis in novissimo suo ad judicium adventu in eadem hominis forma, sed non in eadem humilitate & contenta specie, in qua & cum qua venit in primo suo adventu, sed in gloria & majestate. Matt. 24. v. 30. Ibi in primo suo adventu apparuit in forma servi, hic in secundo adventu conspicietur in forma Dei; ibi collocatus fuit in præsepio & æquitavit in asino, hic verò sedebit in cœlesti nubium throno; ibi comites habuit pauperulos Apostolos, hic vero comites habebit sanctos Angelos; ibi viderunt eum & contemserunt; hic verò videbunt & plangent omnes tribus terræ &c. ibi venit in infirmitate, hic in virtute & manifestate; ibi venit in humilitate, hic veniet in dignitate & sublimitate. Irenæus lib. 4. advers. hæres. cap. 56. *Duos Christi adventus omnes annunciarunt Propheta, unum quidem, in quo homo in plaga factus est sciens ferre imbecillitatem, pullo asina insidens & reprobatus lapis adificantiibus & sicut ovis ad victimam adductus. Secundum autem, in quo super nubes veniet, superducens diem, quæ est sicut clibanus ardens.* 2. præmunire cupit animos discipulorum contra proximè imminens passionis & crucis scandalum. Chrysost. homil. 80. in Matth. *Crebrò gloriæ meminit, quoniam crucis tempus jam aderat, quæ res maximo probro habebat.*

Eccc 4

beba-



beatur, quocirca extollit auditorem atque erigit & ante oculos ipsum iudicium ponit. Idem monet Hieron. in comm. hoc loco. 3. remittit discipulos ad Deo Paventis. Vet. Testam. Quando Deus in Vet. Testam. Patriarchis & Prophetis invisibili quadam specie apparuit, tunc dicitur ipsius visus in gloria sive gloriam suam ipsis manifestasse. Exod. 16. v. 10. c. 24. v. 16. c. 40. v. 34. Levit. 9. v. 23. Num. 14. v. 10. c. 16. v. 19. c. 20. v. 6. 1. Reg. 8. v. 11. Esa. 6. v. 3. Ezech. 2. v. 1. c. 10. v. 4. &c. Quia igitur Filius Dei est persona loquens cum Patribus, ideo etiam hanc gloriam suam, cujus velut ra dios quosdam sanctis Dei hominibus in Vet. Testamento & Apostolis suis in transfiguratione ostendit, plenâ luce coram toto mundo in die iudicii conspicuam & manifestam faciet. Cum primis verò huc pertinet, quod in solenni promulgatione legis gloriam suam Israëlito populo manifestasse dicitur. Quia enim in extremo iudicio fiet divinæ legis executio, ideo etiam tunc iudex omnium in gloria venturus dicitur. 4. ostendit se venturum ad pios glorificandos. Col. 3. vers. 4. *Cum Christus (in gloria) apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Non erit hic adventus novæ cujusdam redemptionis, (sicut primus) nec sanctificationis (sicut adventus spiritualis) sed glorificationis, unde veniet gloriosus ad pios glorificandos. Hæc proinde advenientis iudicis gloria piis erit grata & desiderabilis, quia scient gloriosum iudicem venire ad se glorificandos; impiis verò erit adversa ac formidabilis, quia scient gloriosum iudicem venire ad se perdendos & in extremam ignominiam abjiciendos. 2. Theff. 1. v. 9. *impii penas dabunt eternum exitum à facie Domini & à gloria virtutis ejus.* Nostrum est, in hac vita ad Deum converti, vera fide amplecti *Evangelium gloriae Christi* 2. Cor. 4. v. 4. *Christum, quem non videmus, diligere* 1. Pet. 1. v. 8. & gloriam ejus revereri, ne aliquando conspectus gloriæ ipsius terrorem & exitium, sed potius lætitiâ & salutem nobis afferat.

Cæterum, quod in genere Christus dixerat, se aliquando venturum in gloria illud in specie postmodum declarat, ostendens, quod gloriam illam suam demonstraturus sit 1. *Angelorum comitatu & societate.* Cum venerit filius hominis in gloria sua & omnes sancti Angeli cum eo. Latinus Interpres omittit *ἁγῶν ἀγγέλων* sancti Angeli, sed in omnibus Codd. Græcis additur *ἀγγέλων* ad differentiam malorum Angelorum, qui paulò post vocantur *Angeli Diaboli*, qui non erunt iudicis comites, sed in numero iudicandorum. Syrus Interpres addidit relativum, & omnes sancti Angeli ejus cum ipso. Brugensis putat, hanc additionem non carere periculo, posse enim alicui suspitionem injici, ac si non omnes Angeli, sed tantum quidam sint Christi Angeli. Sed huic suspitioni occurrit particula universalis *omnis*, ac relativum *ἀντὶ* additur in locis parallelis Matth. 13. vers. 41. cap. 16. v. 27. cap. 24. v. 31. Marc. 13. v. 27, ubi sancti Angeli dicuntur esse *Christi Angeli* tum creationis, tum domini respectu, hic verò relativum illud rectè omittitur, quia in Græco textu non habetur. Emphasis est in voce *ἀντὶ*, significatur enim omnes omnino Angelos à summo primi ordinis usque ad infimum ultimi ordinis cum Chri-

sto ad iudicium venturos, & quia etiam animæ beatorum cum corporibus è pulvere suscitatis rediendæ cum Christo descendant, inde tota celestis curia cum ipso ventura rectè dicitur. Chrysostomus dicto loco pro sua grandiloquentia *ἔπαυτος* tunc fore *κενὸς πύργος* caelos evacuatum iri asserit. *Aderit cum iudice radians in splendoribus suis innumerabilis Angelicarum legionum multitudo*, inquit Leo magnus sermone 4. de collectione & eleemosyna. Proinde, quod alibi *indefinitè* dicitur, *Angelos cum Christo venturos* 2. Theff. 1. v. 7. quodque magnus Angelorum numerus cum ipso venturus dicitur Dan. 7. v. 10. Iudæ v. 12. illud juxta hanc ipsius Christi explicationem accipiendum, est *universaliter*, quod omnes omnino Angeli cum ipso sint venturi. Quia enim omnes homines tunc iudicio erunt sistendi, ideo etiam omnes Angeli, qui prius custodes hominum fuere, cum iudice ad iudicium venient. Aderunt verò 1. *ob complementum vaticiniorum Prophetarum.* De Henoch Patriarcha in Epist. Judæ. v. 14. dicitur, quod de extremo iudicio hæc verbis vaticinatus fuerit. *Ecce venit Dominus ἐν νεφέλαις ἀργύρεαις, cum multis sanctorum millibus,* (quod cum sit indeterminate positum, tam ad Angelos quam homines sanctos referri potest) v. 15. *facere iudicium contra omnes* Dan. 7. v. 19. *Aspicebam donec throni positi sunt & Antiquus dierum sedit.* vers. 10. *millia millium ministrabant ei & decies centena millia assistebant ei, iudicium sedit & libri aperti sunt* (Hoc iudicium Pater cœlestis dedit filio hominis, sicut statim additur vers. 13. *Aspicebam & ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat &c.* Joh. 5. vers. 22. *Pater non iudicat quengquam, sed omne iudicium dedit filio hominis.* Meritò igitur Angeli cum Christo ad iudicium venient, ut idem iudicium à Christo administrari intelligatur, cujusstypum quendam Propheta vidit. Zach. 14. v. 5. *Veniet Dominus Deus meus & omnes sancti cum eo.* 2. *ob complementum typi.* Cum in monte Sinai lex divina à Filio Dei solenniter promulgaretur, præsto erat magna Angelorum copia Act. 7. v. 53. Gal. 3. v. 19. Hebr. 2. v. 2. sic quando idem Dei Filius ob legis divinæ executionem ad iudicium redibit, denuò aderunt Angeli ac tubarum sono adventum Domini sui manifestabunt. 3. *ad comprobandam iudicis magnificentiam & honorem.* Christus in gloriosa sua in cœlos ascensione collocatus est ad dextram Dei supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro Eph. 1. v. 21. *profectus est in cælum subjectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus.* 1. Pet. 3. v. 22. Ut hæc Angelorum subjectio omnibus manifesta fiat atque omnibus constet, Christum esse caput & Dominum omnis Angelici principatus, ideo omnes Angeli cum ipso ad iudicium venient. Neque enim statendum, quod in eadem potestate & gloria cum Christo iudice venient, sed quod honorem potius & reverentiam iudici exhibebunt. Ambros. lib. 3. de fide c. 7. *Illi in obsequio, hic in gloria. Illi in comitatu, iste in suggestu. Illi stant, hic sedet, ut verbo tamen usus ut amur humani: Hic iudicat, illi ministrant.* Quemadmodum Regem solenni pompâ ingredientem honoris causa comitantur Principes, Nobiles ac ministri aulici: sic Angeli Christum suum ac omnium Regem máxi-

maximo cum honore & splendore comitabuntur. Maximi & dignissimi satellites ostendent maximam judicis majestatem. Angeli sunt militia celestis exercitus. Psalm. 103. v. 21. Luc. 2. v. 13. Apoc. 12. vers. 7. quando igitur Christus militia celestis Dux & signifer ad judicium venit, hanc exercitus Angelici multitudinem majestatis suae declarandae causam sibi associabit. 4. ob ministerium & obsequium Christo judici exhibendum. Quemadmodum enim in Christi nativitate, tentatione, passione, resurrectione & ascensione praesto fuerunt Angeli ac ministeria sua ipsi exhibuerunt: ita multo magis in reditu ad judicium ipsi ad ministerium se promptos exhibebunt. In specie dicuntur ministerium suum executuri. 1. tuba clangendo Matth. 24. v. 31. 1. Cor. 15. v. 52. 1. Thess. 4. v. 16. Confer cap. 161 Harmon. tractat. de resurrectione mort. §. 66. 2. Christum honorifice deducendo. 1. Thess. 4. v. 16. 2. Thess. 1. v. 7. &c. 3. homines ex mortuis resuscitatos & vivos in adventu Christi deprehensos colligendo Matth. 24. v. 31. Matth. 13. v. 27. 4. collectos in duas classes distribuendo ac bonos ad judicis dextram, malos ad sinistram statuendo Matth. 13. vers. 49. 5. malos a bonis separatos post latam judicis sententiam in caminum ignis infernalis mitendo. Matth. 13. v. 41. 42. & 50. 6. pios ad caelum subvehendo 1. Thess. 4. v. 17. Quidam malunt hanc piorum in caelum subvectionem potius agilitati corporum glorificatorum propriae, quam Angelorum ministerio tribuere, sed haec sunt invicem subordinata & verbum ἀπαγγελόμεθα ostendit, raptum Angelicum hic simul futurum, Ut animas piorum è corporibus egredias deportarunt in caelum, Luca 16. v. 22. sic eodem è terrae pulvere suscitatos post latam judicis sententiam in caelum secum deducunt. Ad haec ministeria perficienda magna opus erit virtute & robore, unde Paulus dicit 2. Thess. 1. v. 3. Dominum Jesum revelandum esse de caelo cum Angelis virtutis ejus, Pontificii adhuc alia Angelorum ministeria enumerant, videlicet quod instrumenta passionis Dominice, columnam, clavos, fines, coronam spineam, flagella, lanceam, spongium &c. sint portaturi ac mundo demonstraturi, quodque pulverisculos, ex quibus corpora mortuorum reformanda, ex omnibus mundi partibus sint collecturi. Sed acquiescimus in illis ministeriis, quorum Scriptura facit mentionem. 5. propter convenientiam inter Christi ascensionem in caelum ac reditum ejus ad judicium, Christus sic venit in die judicii, quemadmodum Apostoli viderunt eum euntem in caelum. Actor. 1. vers. 11. Jam vero ascendit in caelum cum glorioso Angelorum comitatu Psalm. 47. v. 3. Ergo cum eodem ad judicium redibit. 6. propter testimonium, ut sint testes aequitatis judicii & gestorum ab hominibus, qui sub ipsorum custodia bene vel male vixerunt. Chrysostomus homil. 80. in Matth. Omnes Angeli cum ipso erunt restantes, quot quantaque ministerio suo cum à Domino mitterentur ad salutem hominum, peracta sunt. Gloss. ordin. hoc loco Angeli testes erunt humanorum actuum. Ut autem judex in sua, cum qua venit, gloria visibilis erit, ita quoque satis probabiliter statuitur, etiam Angelos in visibili & omnibus conspicua forma apparituros. Gregorius homil. 1. in Evangel. Angeli, arch-

angeli, throni, dominationes, principatus & potestates in adventu districti judicis nostris tunc oculis visibiliter apparebunt, ut districtè tunc à nobis exigant hoc, quod modo invisibilis conditor aequanimiter portat. Atque hic visibilis Angelorum conspectus, aequè ac gloria judicis, piis erit amabilis ac desiderabilis, impiis contra terribilis & formidabilis. Illi enim facti jam ἰσάγγελοι aeterna felicitatis cum ipsis erunt confortes & focii, hi vero impuritate vitae eos in hoc seculo à se abegerunt & in die judicii ab ipsis in infernum detrudentur. Nostrium igitur est, in hac vita poenitentiam agere ac per eam Angelos exhilarare Luc. 15. v. 10. adeoque nos ita gerere, ut Angelos amicos & custodes habere possimus, ita fiet, ut in die judicii ipsorum conspectu non terreamur, sed exhilaremur. Neque verò Angeli tantum erunt in glorioso hujus judicis comitatu, sed etiam Assesores ac testes judicii erunt. 1. in specie Apostoli, quibus hoc peculiariter promissum. Matth. 19. v. 28. Luca 22. v. 30. ubi per sessionem super thronos mysticè intelligitur eximia quaedam gloria, quam pra reliquis sanctis Apostoli in judicio habebunt. 2. in genere omnes sancti Esa. 3. v. 14. Sap. 3. v. 8. cap. 5. v. 1. 1. Cor. 6. v. 2. 1. Thess. 3. v. 13. Epist. Jud. v. 14. Apoc. 2. v. 26. cap. 3. v. 21. Utrique judicabunt non potestatem judicii αυτοκρατορῶν, una cum Christo exercendo, sed 1. in Christo capite suo. Dan. 7. v. 14. & 27. Eph. 2. v. 6. &c. 2. assistendo sive assistendo, non enim erunt iudices principales, sed summi judicis Assesores Sap. 5. v. 2. Joel. 3. v. 12. &c. 3. approbando quia sententiae judicis publicè voce subscribent Apoc. 19. v. 1. 4. testificando, quia de bonis operibus piorum, cum primis de beneficentia sibi praestita testimonium ferent. Luc. 16. v. 9. 5. fidei & poenitentiae exemplo. Matth. 12. v. 40. Luc. 11. v. 31. &c. Apostoli & Ecclesiae ministri specialiter judicabunt per doctrinam à se praedicatam Joh. 12. v. 48. Rom. 2. v. 16. Confer tract. de judic. §. 41. & 42. Interim, judex summus, principalis & authenticus erit Christus, cujus tribunal judicarium à reliquis Apostolorum & sanctorum thronis erit longissime distinctum, unde.

2. Additur, quod divina & infinita judicis gloria conspicienda sit in regali consessu & throni sublimitate. Tunc sedebit filius hominis omnium judex super sedem gloriae suae. Particula temporis τότε pertinet non solum ad verbum καθίστα, sed etiam ad subsequenta verba, (ὕναρχήσε); ἀφ' οὐρανῶν ἐσθλ. Propositum enim est Christo, continuè narrationis serie totum judicii universalis actum describere. Per thronum gloriae juxta usitatum Hebraismum intelligitur thronus gloriosus, solent enim apud Hebraeos duo substantiva in statu regiminis ita conjungi, ut quandoque prius sive regens, quandoque verò posterius sive rectum sit loco adjectivi. Sic petra fortitudinis & domus munitio est petra fortis & domus munita, Ps. 31. v. 3. vir lingua est homo linguax seu maledicus Psal. 140. v. 2. dextra virtutis est dextra virtuosa & omnipotens Matt. 26. v. 64. sanctitas veritatis est sanctitas vera Eph. 4. v. 24. &c. Quis verò est ille thronus gloriae sive gloriosus, super quem Christus omnium judex tunc sedebit? Quidam existimant metaphoricè ac parabolicè illud duntaxat per hanc sessionem significari, quod Christus sese in publico omnium Angelorum

lorum & hominum conspectu judicem sit exhibiturus, pios liberaturus & impios condemnaturus. Tunc enim more Scripturæ dicitur Deus *pro tribunali sedere*, quando iusto iudicio liberat innocentes & punit reprobos Psal. 9. v. 9. Quem admodum iudicii exercendi signum est, quando iudex tribunal iudicarium conscendit Matth. 27. v. 19. sic Christus tanquam omnium Rex & iudex folium suum regium erecturus & tribunal iudicarium conscensurus dicitur, quia iudicium universale & publicum exercebit. Sed ut visibilis erit iudex, ita quoque ex parte visibilis erit iudicis thronus. Origenes tract. 34. in Matth. per hanc sedem intelligendas esse dicit aut quosdam perfectiores sanctorum, de quibus scriptum, quoniam illic sederunt sedes in iudicio; Psal. 122. v. 5. aut quasdam virtutes Angelicas, de quibus dicitur: *sive sedens, sive dominationes*. Coloss. 1. v. 16. quod etiam à quibusdam accommodatur, quod Psal. 80. v. 2. Deus dicitur *sedere super Cherubim*. Autor imperf. operis homil. 54. exponit de hominibus sanctis. *Scimus certissimi*, inquit, quia sedes Christi homines sunt. Cum ergo de primo adventu & ascensu Christi dicat Propbeta *sedisse eum super sedem sanctam suam* Psal. 47. v. 9. hic in secundo adventu dicitur *sessurus super sedem gloriosam*. In primo enim adventu mundavit nos per verbum, lavit per aquam, sanctificavit per Spiritum: in secundo autem glorificabit per resurrectionem; tunc sedebit in sede gloriæ suæ, cum homines seminati fuerint corporales & surrexerint spirituales. Beda in cap. 25. Matth. eodem ferè modo. *Tunc sedebit Dominus super sedem maiestatis suæ, id est, regnat super sanctam & gloriosam Ecclesiam suam, de qua scriptum est. Sedes tua Deus in seculum seculi* Psal. 45. v. 7. Sed hæc à simplicitate literæ longius discedunt. Quidam igitur exponunt de iride Apoc. 4. v. 3. plerique de nube lucida in figuram tribunalis iudicarii efformata. Simplicissima & tutissima interpretatio est, quæ ex ipsius Christi explicatione desumitur. Is enim coram Concilio Hierosolymitano tempore passionis hæc verba sic exponit: *A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus caeli*. Ergo thronus ille gloriæ, super quem Christus in iudicio sedebit, est partim invisibilis, videlicet dextra Dei, ad quam filius hominis, id est, Christus secundum humanam Naturam est evehctus, quæ vocatur *dextra maiestatis* Hebr. 1. v. 3. *dextra virtutis* Luca 22. v. 69. *thronus megalocronis in caelis* Hebr. 8. v. 1. *dextra sedis Dei* Hebr. 12. v. 2. quia est ipsa increata & infinita Dei virtus ac maiestas omnium rectorix ac dominatrix, partim visibilis, videlicet nubes lucida & maiestatis plena, propter eum, qui nubi insidet, maiestate suâ omnia collustrans, quod pertinent omnia dicta, in quibus Christus dicitur venturus in nube Luc. 21. v. 27. & in nubibus Matth. 24. v. 36. Marc. 13. v. 26. vel etiam cum nubibus Marc. 14. v. 62. Apoc. 1. v. 7. Qualis verò futura sit illa nubes (ut sic loquar) regalis ac iudicaria, & quare in nube Christus sit venturus, exposuimus superius in cap. 161. Harmon. & in tractat. de iud. §. 36. & 37. Illud hoc loco addendum, quod ut de maiestate iudicis & conspectu Angelorum diximus, utramque fore piis gratam & desiderabilem, impiis terribilem & formidabilem: ita quoque idem de

throno maiestatis & gloriæ statui debeat, unde Dan. 7. v. 10. thronus ille dicitur *similis flammæ ignis* propter terrorem, quem reprobis incutiet. Quomodo verò accipiendum, quod Christus dicit, *sedemum in die iudicii sessurum super thronum gloriæ, cum jam inde à sua in caelos ascensione ad dextram Dei sedeat?* Resp. 1. cum Christus hæc ad Apostolos loqueretur, nondum in caelos ascenderat, nec ad dextram Dei confederat. Ergo hanc sessionem suam opponit exinanitionis statui & primo suo adventui. 2. Quamvis hoc ipso tempore sedens ad dextram Dei omnia in caelo ac terra potentissimè & præsentissimè gubernet, nondum tamen nubem illam iudicariam conscendit, in qua iudicium exercebit, ac proinde in sensu compositionis nondum sedet super thronum gloriæ. 3. Quamvis jam inde ab ascensione continuè sedeat ad dextram Patris super thronum regium utpote omnium Rex & iudex, tamen hoc tempore *nondum videmus omnia ipsi subiecta*. Hebr. 2. v. 8. multi illud nec credunt, nec curant, tunc verò toti mundo illud fiet manifestum, quando ipso actu & quidem visibiliter adversus omnes iudicium exercebit. Aut. imp. oper. d. l. *Non jam veniet (Christus) cælatus in corpore, sicut antea, ut vix eum etiam boni cognoscerent, sed manifestus in gloria, ut etiam mali eum confiteantur in viis, ut qui contemserunt eum in humilitate, cognoscant eum in potestate*. Nondum autem h. l. 1. quod Christus in nubibus ad iudicium descendens nihilominus adhuc sedeat in throno invisibili maiestatis suæ sive ad Dei dextram. Ergo dextra Dei non est creatus aliquis & finitus in caelo locus. 2. quod sessio iudicis super thronum mysticè significet iudicii maiestatem & auctoritatem. Iudices terreni pro tribunali sedentes pronunciant sententias ob maiorem auctoritatem, ut ab omnibus conspiciantur & audiantur, ne quid vel temerè vel ex affectu agi videatur: sic Christus in throno iudicario sedebit iustus & ἀποστολοποιήσας iudex. Sessio iudicis super thronos quietem & tranquillitatem animi norat, quia iudicium debet esse sine perturbatione: sic Christus vultu placidissimo & animo imperturbato sententiam feret. Sedebit in secundo adventu ut Rex & Dominus, qui in primo adventu coram iudice stetit ut servus. Sedebit in die iudicii omnia sibi subiecta habens, qui Stephano ad dextram Dei stare visus Act. 7. v. 56. ut suos adhuc pugnantibus adjuvet. 3. quod thronus iudicis Christi à thronis Assessorem longissimo imò infinito intervallo futurus sit distinctus, sicut etiam Apoc. 3. v. 21. manifestum discrimen inter duplicem illum thronum constituit. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum Patre meo in throno eius*. Thronus Patris est, in quem Pater cælestis Christum in gloriosa exaltatione evehct. Thronus Christi est, in quem Christus dilectos suos in gloriosa resuscitatione evehct. In throno Patris nullus Angelorum, multo minus Sanctorum unquam sedit vel sedebit, Heb. 13. sed in throno Christi sancti in die iudicii sedebunt. Thronus Patris est infinita ipsius maiestas, potentia & gloria, quæ Christo secundum humanam Naturam per unionem personalem & exaltationem ad Dei dextram est communicata. Thronus Christi, in quem sanctos evehct, est peculiaris quidam honor in iudicio & æterna in caelis beatitudo. Illa infini-

in finitum est & ubique, hic finitus & in Paradiso. Ille unicus, horum verò plures Matth. 10. v. 28. Apoc. 4. v. 4. cap. 20. v. 4. Ille æternus & increatus, hi verò dicuntur parati Matth. 25. v. 34. & positi Dan. 7. v. 9.

2. *Objectum* sive personæ judicandæ erunt omnes homines. Et congregabuntur ante eum omnes gentes. Per omnes gentes intelliguntur hoc loco omnes omnino homines cujuscunque fuerint conditionis ac status, cujuscunque ætatis, quocunque tempore vel loco vixerint, sive pii fuerint sive impii, sive ante novissimum diem mortui, sive in adventu judicis deprehensi fuerint vivi, ac proinde præsupponitur in hac judicandorum universalitate resurrectio mortuorum. Non enim tantum gentes, sed etiam omnes ac singuli homines omnium gentium huic judicio sistunt, nec ullus etiam potentissimus Monarcha illud poterit subterfugere, quam objecti universalitatem in tractat. de jud. §. 47. uberius comprobavimus. 1. ex *universali Scripturæ sacræ assertionē*. Esa. 45. v. 23. cap. 66. v. 16. Joel. 3. v. 12. Sirac. 41. v. 5. Luc. 16. v. 12. Rom. 14. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10. Galat. 5. v. 5. Judæ v. 14. Apoc. 1. v. 7. 2. ex *collectivi nominis usurpationē*. Dicitur enim Christus judicaturus orbem terrarum ac fines terræ Genes. 18. v. 25. 1. Sam. 2. v. 10. Psal. 9. v. 9. Psal. 82. v. 8. Psal. 98. v. 9. Act. 17. v. 31. 1. Cor. 6. v. 2. 3. ex *indefinitâ locutione*, quæ hic æquipollet universalitati. Dicitur Deus judicaturus gentes, populos, homines, id est, quicquid gentium, populorum, hominum nomine venit vel venire potest. Deut. 32. v. 36. Psal. 9. v. 9. Psal. 50. v. 4. Psal. 98. v. 9. Esa. 3. v. 30. c. 30. v. 28. Rom. 2. v. 15. 4. ex *speciali distributione*. Dicitur Deus judicaturus pium & impium, justos & injustos, fideles & incredulos. Eccles. 3. v. 17. Sap. 5. v. 1. magnos & pusillos Apoc. 20. v. 12. vivos ac mortuos Act. 10. v. 42. 2. Tim. 4. v. 1. Pet. 4. v. 5. & c. 5. ex *judicii cum morte & resurrectione connexionē* Hebr. 9. v. 27. Joh. 5. v. 29. 6. ex *rationatione*. Christo data est potestas omnis carnis Joh. 17. v. 2. ipsi stestendum omne genu Phil. 2. v. 10. Ergo omnes judicio ejus sistuntur. Justitia divina requirit, ut bonis præmia, malis reddantur supplicia. Ergo justus & injusti judicabuntur. 7. ex *perpetua Ecclesiæ confessione*, quæ colligitur ex Symbolis & Patrum testimoniis. Quod autem Christus congregandas dicit omnes gentes, non autem omnes homines, illud spectat non solum ad judicandorum multitudinem, sed etiam eorundem varietatem explicandam & consequenter ad judicis majestatem declarandam. Gentes à se invicem linguarum, rituum, cultuum, habitationum & c. multiplici varietate distinguuntur, sed nulla gens erit tam barbara, tam remotis in locis habitans, tam aliena à Dei & Christi cognitione, quæ non sit ad hoc judicium congreganda. Circa hanc objecti universalitatem notandum 1. quod opponenda ea sit opinionibus veterum, quorum quidam solos Christianos ante tribunal Christi congregandos statuunt, cum infideles jam sint judicati, quidam nec fideles nec infideles dicunt judicatum iri, sed duntaxat medios. Dicta eorum enumeravimus tractat. de judic. §. 46. Beda in c. 25. Matth. quatuor facit ordines hominum in judicio congregandorum Duo, inquit, sunt ordines hominum in judicio collectorum, qui tamen in qua-

tuor dividuntur, Perfectorum ordines duo sunt. Unus, qui cum Domino judicabit & non judicantur, de quibus Dominus ait. Sedebitis & vos super sedes duodecim; alius, quibus dicitur esurivi, & dedistis mihi manducare, hi judicabuntur & regnabunt. Item reproborum ordines duo sunt: Unus eorum qui extra Ecclesiam inveniendi sunt, hi non judicabuntur peribunt, de quibus Psalmista ait. Non resurgunt impii in judicio. Alter quoque reproborum est, qui judicabuntur & peribunt, quibus dicitur. Esurivi & non dedistis mihi manducare. Sed Scriptura in genere dicit, omnes homines tribunali Christi sistendos esse. Item opinioni quorundam Pontificiorum, quod parvuli non baptizati non sint in judicio comparituri. Confer tractat. de jud. §. 51. ac errori Photinianorum, quod impii non sint resurrecturi, nec coram tribunali Christi statuturi. Confer tractat. de resurrectione §. 101. 2. quod vox judicii dupliciter in Scripturis accipiat. Primò pro judicio condemnationis. Secundò pro judicio approbationis & liberationis. Priori sensu accipiendum, quod de piis dicitur, illos non esse judicandos Joh. 3. v. 18. nec in judicium venturos Joh. 5. v. 24. interim tamen coram tribunali Christi unâ cum aliis hominibus congregabuntur. Venient igitur in judicium summo judici sese sistendo Rom. 14. v. 11. 2. Cor. 5. v. 10. rationem actuum suorum reddendo Rom. 14. v. 12. sententiam absolutoriam audiendo. Venite benedicti & præmia gratuita recipiendo. 2. Cor. 5. v. 10. non autem venient in judicium ratione manifestationis peccatorum, eorum enim Deus non vult recordari amplius Esa. 43. v. 25. Jerem. 31. v. 34. Ezech. 18. v. 22. sed project ea post tergum Esa. 38. vers. 17. imò in profundum maris Mich. 7. v. 19. nec ratione sententiæ condemnatoriæ, quippe quæ ad solos reprobos pertinet, nec ratione pœnæ solis damnatis in die judicii irrogandæ. 3. quod increduli & finaliter impenitentes tam extra, quam intra Ecclesiam jam judicati quidem sint in æterna reprobatione & in legis prædicatione. Joh. 3. v. 18. nihilo tamen minus in die novissimo adhuc judicandi sint tum sententiæ publicatione, tum ejusdem executione sive eorundem damnatione. 4. quod propterea Christus disertam omnium gentium ante tribunal judicarium congregandorum mentionem facere voluerit, ne quis ex eo, quod sententiæ judiciaria infidelibus extra Ecclesiam ac parvulis non baptizatis non videatur convenire colligat, nec infideles extra Ecclesiam nec parvulos non baptizatos coram tribunali judicis esse sistendos. 5. quod hæc objecti universalitas non tantum omnes homines complectatur, sed etiam extendenda sit ad malos Angelos, itidem in judicandorum numero futuros 1. Cor. 6. v. 3. Judæ v. 6. 2. Petr. 2. v. 4. unde postea in sententiæ damnatoria contra impios proferenda disertè fit mentio Diaboli & Angelorum ejus v. 41. Confer tract. de judic. §. 45. & 46. 6. quod huic objecti sive hominum judicandorum universalitati opponi nequeant throni, in quibus judicaturi potius sedebunt sancti quam judicandi. Illud enim vel in specie tantum de Apostolis accipiendum, vel si ad omnes sanctos referatur, statuendum erit, quod sancti primò quidem unâ cum reliquis hominibus coram tribunal Christi statuendi, mox verò auditâ absolutionis sen-

sententia in occursum Christi in aëra tum ab Angelis tum agilitate glorificati corporis rapiendi 1. Theff. 4. v. 17. ac unâ cum Christo & Apostolis, qui velut Primates & Assessores regni Christo erunt proximi mundum & Angelos malos judicaturi. Confer tract. de jud. § 43. Ex hac objecti si ve judicandorum universalitate Apostolus tres doctrinas elicit. 1. quod non debeamus fratrem si ve proximum temerè judicare, cum uterque nostrum alium & quidem longè superiorem habeat judicem Rom. 14. v. 10. *Tu verò quid judicas fratrem tuum? aut in quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi, vers. 12. itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo* 2. quod non debeamus judicia hominum temeraria magnopere curare, sed conscientia & futuri illius judicii rationem habere, 1. Cor. 4. vers. 3. *Mibi pro minimo est, ut à vobis judicer aut ab humano die, v. 4. qui me judicat, Dominus est, vers. 5. Itaque nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui etiam illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* 3. quod nos in hac vita ita gerere debeamus, ut nos & actiones nostras in die judicii huic summo judici probare possimus 2. Cor. 5. 9. *Concedimus si ve absentes si ve presentes Domino placere vers. 10. omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut unusquisque referat prout gessit per corpus si ve bona si ve mala.* Siracides addit quartam doctrinam, quod nemo debeat vanam spem concipere, posse se coram iudice latere, quia omnes tribunali ipsius sistuntur cap. 16. v. 15. *Non dicas, à Deo abscondar & ex summo quis mei memorabitur? v. 16. in populo magno non agnoscar, que est enim anima mea in tam immensa creatura? v. 17. Ecce cælum & cæli cælorum, abyssus & universa terra, & que in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur (in die scilicet judicii) v. 18. montes simul & colles & fundamenta terræ, & cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.*

3. *Forma seu processus judicii absolvitur duabus partibus, utpote 1. Solemni ad iudicium preparatione. 2. ipsâ judicii administratione. Quod enim præparatio quædam ad iudicium ejusdem administrationem præcessura sit, colligitur ex Daniel. 7. v. 9. *Aspicebam donec throni positi sunt & Antiquus dierum sedet. Apoc. 20. v. 11. Vidi thronum magnum, candidum & sedem super eum & c.* Ad præparationem illam pertinet 1. Christi judicis super thronum gloria sessio (Ea enim diverso respectu tum ad majestatem judicis tum ad processum judicii referri potest.) Quando Christus in secundo suo adventu redibit gloriosus, Angelorum factellitio stipatus, ab omnibus conspiciendus, tunc sedebit super thronum gloria suæ, conscendet tribunal judicium, coram quo omnes homines sunt sistendi. De hoc throno jam antè in præcedentibus fuit dictum. Confer tract. de judicio §. 58 ubi diximus, super hunc thronum Christum judicem collocatum iri à Patre cælesti ac nihilo tamen minus Christum ipsum super hunc thronum majestatis suæ semetipsum collocaturum. 2. omnium hominum coram tribunali Christi congregatio. De hac itidem in præcedentibus aliquid dictum fuit, hoc loco circa eam notandum 1. quod Christus de ea loquatur indefinitè *πᾶσι**

*ἄνθρωποι*, nec explicet, à quo & per quem gentes sint congregandæ. Alibi verò illud sic exponit, quod congregatio illa ministerio Angelorum sit peragenda. Matth. 24. v. 31. Marc. 13. v. 27. *mittet Filius hominis Angelos suos & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis calorum usque ad terminos eorum.* Tunc dicit iudex ministris suis Angelis. *Congregate mihi sanctos meos.* In hac vita congregantur homines ad ovile Christi ministerio hominum, videlicet Ecclesiæ doctorum, tunc verò ad tribunal Christi congregabuntur ministerio Angelorum. 2. quod congregandæ sint omnes gentes *ἐκ παντὸς γένους* ante Christum sedentem in nube lucida velut pro tribunali, unde congregationem illam Apostolus sic explicat Rom. 14. v. 10 *omnes & ἡσθησόμεθα* sistemur si ve presentabimur (quod est verbum forense & iudiciale Actor. 23. v. 33. cap. 24. v. 13. cap. 27. v. 24.) ante tribunal Christi. Sicut in iudicio primum omnium requiritur, ut rei iudicio sese sistant: ita quoque hæc congregatio omnium hominum ad tribunal Christi erit iudicii quasi prævia. Neque enim probare possimus, quod Origenes & Autor imperf. oper. congregationem illam non in sensu literali, sed mystico exponunt de clara iudicis noticia 3. quod congregatio illa sit absolute & simpliciter universalis, cum omnes omnino homines complectatur, ut paulò ante fuit demonstratum. Inde Paul. diem iudicii vocat diem *ἡμερῶν ἡμερῶν* 2. Theff. 2. v. 1. non solum, quia omnes pii in unum cætum tunc colligentur, de quibus propriè ibi loquitur Apostolus, sed etiam quia omnes, quotquot unquam in terris vixerunt homines, tunc congregabuntur. Erit tunc universale omnium hominum Concilium, dicunt pii veteres. *Omnes nos oportet manifestari coram tribunali Christi*, inquit Apostolus 2. Cor. 5. v. 10. quasi dicat, in hoc seculo homines iudicio sistendi interdum sese occultant, latebras quærunt, vel etiam fugâ sibi consulunt, sed in illo iudicii die nec occultationi nec fugæ ullus patebit locus. 4. quod congregatio illa iudici non solum futura sit possibilis, sed etiam facilima. Ipse enim est, qui appendit tribus digitis molem terre Esa. 40. v. 12. & omnia manu suâ continet, Quam ergo facilè invenis, quod in manu tua geris, tam facilè quoque hic iudex inveniet omnes homines. *Omnes capillos in numerato habet, quanto magis omnes homines.* Matth. 10. v. 30. *Numerat omnes gressus* Psalm. 56. v. 10. quanto magis homines, qui in terris ambularunt. 5. quod congregatio illa & comparitio omnium requiretur, tum propter iudicem, ut ejus iustitia erga omnes homines publicè innotescat Apoc. 15. v. 4. tum propter pios, qui testimonium & præmium pietatis suæ coram omnibus reportabunt Sapient. 5. v. 1. 1. Cor. 4. v. 5. tum propter impios, quorum malitia hypocritæseos velo in hac vita sæpius occultata, tunc in publicam lucem producet. 6. quod aliâ ratione congregandi sunt pii, aliâ verò impii. Pii spontè congregabuntur, imò velut aquilæ ad cadaver, ita ad benignissimum iudicem Christum spontè convolabunt Matth. 24. vers. 28. Luc. 17. vers. 37. impii verò inviti & coacti virtute Angelorum ad tribunal rapientur, sicut facinorosi in hac vita præter voluntatem ad iudicem pertrahuntur. 7. quod locus hujus congregationis à Rabinis & Pon-

Pontificiis statuatur *vallis Josaphat*, quam opinionem probare cupiunt ex Joel. 3. v. 2. & 12. quã dere quid statuendum sit, expositum fuit tract. de Judic. §. 75. 8. quod congregatiante judicis tribunal *ἡ ἄνωγειά* tanquam externo reverentia & subjectionis signo testatum reddituri sint, se hunc judicem Regem & dominum agnoscere, quod pii facient sponte, impii verò inviti & coacti Esa. 45. v. 23. Rom. 14. v. 10. Phil. 2. v. 10. Apoc. 5. v. 13. Solemur nos hac promissione congregationis, quando in hac vita vel per mortem vel per Tyrannorum persecutiones à dilectis nostris separamur, aggregemus nos cœtui sanctorum, in hac vita, ita fiet, ut aggregemur cœtui beatorum, imò ipsi Christo in die judicii & futura vita. 1. Theff. 4. v. 17.

3. *Congregatorum in duas classes separatio.* Et separabit eos alteros ab alteris, sicut Pastor segregat oves ab hœdis. Syrus reddidit. Separabit unum ab uno, id est, unum ab altero; per Hebraicum & enallagen numeri. In Græco textu est enallage generis, præcedit enim *ἡ ἄνωγειά* & additur pronomen masculinum *αὐτῶν*, ut ad sensum oratione ferri intelligatur, cujusmodi exempla occurrunt Matth. 28. v. 19. Joh. 15. v. 26. &c. quamvis hujus loci quodammodo alia videatur ratio, quia ipsa necessitas illam numeri permutationem requirebat. Neque enim gentes ipsæ à se invicem separabuntur, cum non sint futura: integra quædam gentes, quæ cum omnibus suis individuis vel fervari vel perire debeant, sed inter omnes gentes erunt quidam salvandi, quidam damnandi, ergo inter homines fiet separatio, qui in voce gentium velut individua in sua specie includuntur. *Causa principalis* hujus separationis erit ipse Judex, ut intelligitur ex serie textus. *Filius hominis sedebit super thronum glorie sue & congregabuntur ante eum omnes gentes & separabit eos ab alteris.* Utergo per lectionem in throno gloriæ judicis *majestas*, per congregationem omnium ante ipsum ejusdem *authoritas*: ita per hanc separationem bonorum à malis, judicis prudentia & omniscientia manifestabitur, quod ipse tanquam *καρδιογνώστης* optimè notum & perspectum sic habiturus, quinam in hac vita fuerint verè pii, quinam verò hypocritæ & impii. Itemque judicis *dexteritas & justitia*, quod inæquales separando nemini in judicio suo faciat injuriam. Act. 17. v. 31. ut & irrefragabilis ejusdem *potentia*, quod impios etiam invitos & coactos à bonorum cœtu disseparabit. *Causa instrumentalis* illius separationis, perinde ut etiam antecedentis congregationis, erunt Angeli, docente Christo Matth. 13. vers. 49. *In consummatione sæculi exibit Angeli & separabunt malos de medio justorum.* Quia verò Angeli non sunt *καρδιογνώστης*, sed Deus solus novit corda filiorum hominum 1. Reg. 8. v. 39. ideo non nisi per revelationem judicis scire poterunt, quosnam in classem bonorum, quos verò in classem malorum referre debeant. Separatio ipsa non tantum fiet *mentaliter & interior* secundum cognitionem judicis, sed etiam *localiter & exterior* secundum locum, ut ex verbis sequentibus intelligitur, in quibus dicitur, quod boni ad judicis dextram, mali verò ad ejus sinistram sint collocandi, quo modo verbum *ἀφορῶν* usurpatur Lucæ. 6. v. 22. Act. 13. v. 2. c. 19. v. 10. Galat. 2. v. 12. &c. at Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

que hoc ipso in loco ita accipiendum esse, ostendit subjecta similitudo, quæ separatio illa declaratur, sicut pastor *ἀφορῶν* oves ab hœdis. In aliis Scripturæ locis hæc separatio variis similitudinibus declaratur, utpotè per ventilationem & purgationem aræ Matth. 3. v. 12. per Zizaniorum à tritico discretionem Matth. 13. v. 30. per piscium bonorum à putribus segregationem v. 48. præfiguratur per gregis ad Jacobum pertinentis à grege Labani separationem Gen. 30. v. 35. hic verò placuit Christo eandem declarare per ovium ab hœdis *ἀφορῶν* separationem, quæ similitudo deducta videtur, ex Ezech. 34. v. 17. ubi dicit Dominus Pastor Israelis. *Eccè ego judico inter pecudem & pecudem, arietes & hircos.* Ovium enim nomine hic intelligitur totum genus ovinum, videlicet arietes, verveces & agni; hœdorum nomine totum genus hircinum, videlicet hirci, capræ & capri, inter quos juniores dicuntur hœdi. Potest autem hæc similitudo de multis nos monere, utpotè 1. *de separationis facilitate.* Pastori facilimum est, oves ab hœdis invicem separare: sic Christo sine ullo labore ac molestia bonos à malis in die judicii separabit. 2. *de bonorum ac malorum proprietate.* Boni comparantur ovibus, non solum hoc loco, sed etiam Matth. 10. v. 16. Joh. 10. v. 16. c. 21. y. 16. &c. Primo propter *obedientiam*, audiunt vocem Christi pastoris sui Joh. 10. v. 27. secundo propter *vite innocentiam ac mansuetudinem*, oves neminem lædant, nec cornibus petunt, nec unguibus lacerant, nec ore mordent. Tertio propter *patientiam* Esa. 53. v. 7. Quarto propter *simplicitatem*, habentur in mundo stolidi & insipientes. Quinto propter *studium benefaciendi & fructificationem* in bonis operibus, nihil quicquam est in ove, quod non homini præbeat usum. Sexto propter *munditiam*, quia ovis est animal mundum, quod non volutatur in luto instar porci. Septimo propter *inobedientiam*, ovis semetipsum nequit vel à lupo defendere vel contra lupum tueri, sed liberationem & defensionem à pastore suo unice expectat, sic pii à Christo unico animarum Pastore. Octavo propter *signatam crucis*, quia prædæ & lanienæ sunt expositi. Pf. 44. v. 22. Rom. 8. v. 36. Mali comparantur hœdis, primo propter *sterilitatem in bonis operibus* hœdi enim non pariunt, sicut oves, sic impii sunt *ἀκαρπῆς* ad omne opus bonum inepti. Secundo propter *fatorem peccati & immunditiam*. Tertio propter *stupiditatem*. Quarto propter *lasciviam & salacitatem*. Quinto propter *rixiositatem & modestiam*. Sexto propter *aberrationem à recto tramite*. Hœdi sunt *ἀκαρπῆς* non rectè gradiuntur, sed obliquas amant semitas. Septimo quia sicut hirci gaudent locis altis & præcipitiis, sic impii ambulant difficiles & periculosas vias Octavo propter *invidiam*, quam hirci quasi insitam esse testatur illud Poetæ, *transversa tuentibus hircis* (al. hircis). Hæc omnia ad mores piorum & impiorum plurimum diversos facile accommodari possunt. Origenes in hoc loco, *Oves dicti sunt, qui salvantur, propter mansuetudinem, quam didicerunt ab eo, qui dicit. Discite à me, quia mitis sum &c. & propter quod usque occisionem parati fuerunt venire imitantes Christum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est &c.* Hœdi autem dicuntur mali, quia *aspera & dura saxa* male

malè ascendunt & per præcipitia eorum incedunt. Hieronymus in hoc loco. Oves in parte iustorum stare iubentur ad dextram, hædi, hoc est, peccatores ad sinistram, qui semper pro peccato offeruntur in lege. Ne dixit capras, que possunt habere fetus & ronse egrediuntur de lavacro omnes gemellis fatibus & sterilis nulla inter eas Cant. 4. v. 2. sed hædos lascivum animal & petulcum & fervens semper ad coitum. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 288. Mansuetam ac lenem atque opem nobis ad amicum & integumentum afferentem ovem à dextris Dei collocandam esse divinum oraculum ait, asperum contra & voracissimum atque agrestem hædum ad sinistram abijciendum. Præcipuè verò accuimus ad ovium fructificationem, hædorum verò infructuositatem in hac comparatione Christus respicit, ut rectè monet Chryostomus in hoc loco & ex sententia judiciaria postmodum subjecta intelligitur. Alii (inquit) hædorum, alii ovium nuncupatione nominantur, ut aliorum sterilitas, quia nihil ab hædis producitur, aliorum fertilitas ostendatur. Iberes enim & multi ab ovibus fructus proficiuntur, à lactis copia, ab elegantia lana, à fetu, quibus omnium hædorum genus omnino caret. Proinde cum Author imperf. operis homil. 54. multas ovium virtutes & hædorum vitia annotasset, tandem & hoc monet, Christum pios non comparasse agnis, qui nondum sunt fecundi, nec impios capris, quæ fecunditate se commendant, sed pios fecundis ovibus, impios verò sterilibus hædis comparasse. Oves, inquit, homines iusti propter mansuetudinem, quia ipsi neminem ledunt: propter patientiam, quia cum ab aliis lesi fuerunt, sustinent. Et sicut oves, quando ligantur, aut tacent, aut in simplicitate bajulant: ita & sancti cum leduntur, aut tacent, aut certè in benignitate probati preces transmittunt ad Deum. Et sicut ovis ad mortem ducitur & non clamat, vita ejus tollitur & mansuetudo ejus non immutatur? sic & sancti maledicuntur & non remaledicunt, percutiuntur & non repercutiunt, bona eorum diripiuntur & illi non contradicunt; dolorem sentiunt & clamorem non emittunt &c. Hædos autem homines peccatores dicit, quia in capris naturaliter hæc insunt vitia. Libido præ cæteris animalibus, superbia, rixa. Semper enim percutientes incedunt & modò humero pulsante, interdum cornu percutiunt. Item invidi sibi alterutro invident, sicut Sirac. 11. v. 32. de invidis dicit Salomon. Sicut capra, sic aspicit ruinam proximi sui. Item jactantes sunt & gloriantes, sicut idem significat Salomon Prov. 30. v. 29. Tria sunt, que securiter ambulant, leo inter jumenta, gallus inter gallinas, & hircus præcedens capras. Item capra multum trabuntur concupiscentiâ gule. Propter gulam namque suam per saxa & præcipitia ambulant & super præcipitia se suspendunt. Item clamoribus super omnia sunt garrule. In omnibus his vitiis peccatores abundant & ideo hædis sunt assimilati. Adhuc quæro, quare non eorum similes introduxit atates, dicens. Ita separabit eos sicut oves ab hircis, aut ita sicut agnos hædis. Sed videte, quomodo volens ostendere sanctos perfectos in omnibus ponendos ad dextram, & impios omnino infructuosos, ad sinistram, idè sanctos, oves; impios autem hædos vocavit. Quomodo agni, etsi naturâ mansueti sunt, tamen non sunt omnino fructiferi propter atatem, fructum enim adhuc non habent lactis &

lane. Item capra etsi maligna sunt, tamen ex aliqua parte fructifera sunt per atatem, lactis enim abundantiores exhibent fructus. Hædi autem & mali sunt ex Natura, & omnino infructuosi sunt ex atate. Euthymius ex Chryostomo rectè monet, animalia illa, quibus homines hæc comparantur, Naturâ duce vel fructiferare vel sterilia esse, homines verò voluntate utrumque istorum facere, atque, eapropter meritò alterutros eorum puniri, alteros verò coronis decorari. Theophylactus statuit, Christum in hac comparatione etiam eò respicere, quod impiorum supplicium nunquam sit desitutum. Vi enim hædos nunquam sic ovis: sic post diem iudicii peccatores nunquam purgantur, ut fiant iusti & salvi. Potest & hoc observari, quod Christus in Scripturis comparatur, ovi Esa. 53. v. 7. Actor. 8. v. 32. & agno Joh. 1. v. 29. 1. Petr. 1. v. 19. Apoc. 7. v. 6. &c. Quia ergo pii in hac vita Christi mores imitati fuerunt, idè ovibus comparantur, sicut contra impii conferuntur hædis, quia imitati fuerunt mores Diaboli, qui in forma hirci sapius se conspiciendum exhibet. Hædus Hebræis vocatur Seir, quo nomine regnum Esau vocabatur Gen. 32. v. 3. cap. 36. v. 8. Deut. 4. v. 5. Mal. 1. v. 5. jam verò Esau proponitur ab Apostolo ut typus reproborum Rom. 9. v. 13. qui fuit pilosus instar hædi Gen. 27. v. 11. & pro vili cibo vendidit jus primogenituræ cap. 25. v. 34. merito igitur reprobi hædis à Christo hoc loco conferuntur. 3. de honorum ac malorum in hac vita commixtione ac societate. Quemadmodum interdum, cum in campum emittuntur greges, oves permixtæ sunt hædis & in agro simul pascuntur Job. 1. v. 14. sed vesperi pastor oves ab hædis discernit: sic tempore hujus vitæ in latissimo mundi campo boni mali invicem sunt permixti & ab eodem pastore Christo omnes corporaliter, quidam etiam spiritualiter doctrinæ celestis pabulo simul nutriuntur, sed in vespera, id est in fine seculi invicem separabuntur. Autor imperf. operis dicto loco. Sicut in nocte rerum facies non apparet, sed & gemma quasi lapis videtur, & lapis quasi gemma existimatur. sic & ante adventum Christi humanorum cordium differentia non apparet, sed & mali quasi boni sustentantur, & boni quasi mali contemnantur, (Ipse quidem de spirituali adventu Christi per prædicationem Evangelii loquitur, sed potest idipsum etiam ad ultimum & gloriosum Christi adventum accommodari, unde statim subiungit) In hac vita homines non solum mixti sunt, sed etiam confusi, ut inter justos & impios, quantum ad homines non appareat discretio, sicut tempore hyemis inter virides & aridas arbores discretio non est, cum autem venerit beatum illud tempus vernale, discernentur. 4. de malorum in hac vita protervia ac proccacitate. Sicut interdum hædi non solum ovibus sunt intermixti, sed illis etiam variis modis molesti, luxuriantur, subsultant, cornua impingunt: sic impii in hac vita temporali felicitate ebrii pios premunt, divexant, persequuntur &c. sed ut vesperi oves ab hædorum molestiis liberantur, sic Christus pios ab impiorum insultibus mundi vespera liberavit. Ezech. 34. v. 21. Hæc dicit Dominus. Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue & macilentum, pro eo quod lateribus & humeris impingebatis & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergentur.

rentur fons. 5. de separationis hujus utilitate. Quem admodum oves in diversa ab hœdis stabula compactæ suaviter quiescunt & nullas amplius ab hœdis experiunt molestias, sic pii in die iudicii ab impiis separati in suavissimam pacem & quietem collocabuntur ab omnium impiorum insultibus penitus in posterum securi. Colligitur autem ex hac piorum ab impiis separatione in die iudicii securura. 1. Christum esse verum pastorem animarum Joh. 10. v. 12. Hebr. 13. v. 10. 1. Pet. 5. v. 4. &c. nec depositurum hoc suum munus in ipso iudicii actu, sed fidelitatem pastoritiam erga oves suas etiam tunc demonstraturum. 2. Christum exactissimè novisse, qui sint ei, id est, qui sint oves 2. Tim. 2. v. 19. ac intimos humanorum cordium recessus ipsi patere Joh. 2. v. 24. frustra igitur hœdinum cor ovium vestitu coram ipso tegitur. 3. Christum esse omnipotentem, qui ut verbo potentia suæ Hebr. 1. v. 3. in prima creatione lucem separavit à tenebris Gen. 1. v. 3. sic in regeneratione Matth. 19. v. 28. filios lucis separabit à filiis tenebrarum. 4. Pii non debere durum videri, si in hac vita hœdis adhuc intermixti insultus & molestias ab iis sustineant, circa mundi vesperam separationem noverrint secururam. 5. Summopere verò piis cavendum esse, ne à consortio cum hœdis aliquid contagii vel vitii contrahant. 6. Ante extremum iudicium non esse sperandam plenariam ovium ab hœdis separationem, id est, Ecclesiam electorum ab omnibus hypocritis puram & separatam. 7. Ministros verbi debere, quantum quidem possunt, oves ab hœdis segregare, sed si adhuc quosdam hœdos ovibus permixtos manere animadvertant, cogitent perfectam & plenam separationem à summo Pastore Christo aliquando in die iudicii esse instituendam, ubi per ἀποκομὴν & finalem quandam ac totalem excommunicationem impij à piis separabuntur. 8. Separationem piorum ab impiis non fore eis in die novissimo ingratam, etiam si hypocritæ in hac vita ipsis fuerint conjunctissimi. Oves ab agnis non facilè separantur, sed ab hœdis facilè: sic piis animis non solum æquis sed etiam latis à consortio malorum in die iudicii separabuntur &c. 4. Separationem partim ad dextram, partim ad sinistram collocatio. Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Quia in præcedente membro separationem bonorum à malis declaraverat similitudine sumtâ à pastore oves ab hœdis segregante, inde jam persistit in illa metaphora, & bonos sive electos vocat oves, malos vero sive reprobos appellat hœdos ob causas jam ante expositas. Bonos dicit collocandos ad iudicis dextram, malos vero ad sinistram, ita ut iudex in tribunali iudiciario sedens sit in loco intermedio. Ad hanc collocationem videtur iudex itidem usurus ministerio Angelorum, cum sit consequens illius separationis, de qua in præcedente membro fuit dictum, quod per Angelos sit peragenda. Typi hujus collocationis præcesserunt in Vet. Testamento Num. 16. v. 48. Aaron stans inter vivos & mortuos intermedium populum reconciliabat Deo, in quæ verba sic commentatur Origenes homil. 9. in Numer. Cum Filius hominis veniet, inveniet quosdam mortuos, quosdam autem viventes. Mortuos dicimus eos, qui

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda.

nimietate scelerum in peccatis suis mortui intelliguntur, viventes autem, qui in operibus vite permanserunt. Tunc Pontifex noster Christus medius vivorum & mortuorum stare dicendus est, cum statuet oves à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Deuteron. 17. v. 11. Joh. 8. v. 31. arca fœderis in medio consistit, quando ex una parte sex tribus Israelitæ stant ad benedicendum, ex altera parte sex reliquæ tribus ad maledicendum, cuius typi applicationem ostendimus superius. 1. Reg. 3. v. 27. Rex Salomon throno suo insidens prudentissimum & æquissimum pronunciat iudicium inter duas mulieres ad dextram & sinistram stantes, quarum una infantem habebat vivam, altera mortuum: sic Christus cœlestis Salomon Matth. 12. v. 41. sedens super thronum gloriæ suæ iudicabit inter eos, qui fidem veram & vivam demonstrarunt per opera charitatis, & eos, qui mortuis & infrugiferis operibus peccatorum indulserunt, quorum illi collocabuntur ad iudicis dextram, hi verò ad sinistram. Moses de Coti in libro præceptorum 186. refert, in iudiciis Judæorum duos fuisse scribas, quorum unus stabat ad dextram, alter ad sinistram, unus scribebat verba eorum, qui absolvebant; alter eorum, qui damnabant eos, ex quo probabiliter colligi potest, innocentes fuisse in iudiciis collocatos ad dextram, fontes verò ad sinistram, ad quam iudiciorum formam Christus hic simul alludit. Forma collationis à quibusdam sic describitur, quod iusti nondum auditâ absolutionis sententiâ statim rapiendi sint in aerem obviam Christo descendenti ac vel virtute corporum glorificationum vel ministerio Angelorum vel aliâ ratione divinæ potentia ad Christi dextram in aere tanquam loco superiore & honoratiore collocandi; impios verò in terra relinquendos tanquam loco inferiore & ignobiliore, inque ea ad sinistram iudicis collocandos, ut sic à dextris ac sinistris collocari sit idem, quod supra ac infra collocari. Sed rectius statuitur, utrosque tum bonos tum malos ab Angelis separatos in terra sic collocandos, ut boni ad iudicis dextram, mali verò ad sinistram consistant. Postquam verò sententiâ absolutoria pro iustis à iudice pronunciata, tunc demum iustos rapiendos Christo obviam in aerem 1. Theff. 4. v. 17. impii in terra relictis & post pronunciatam damnationis sententiâ in infernum detrusis. Quidam statuunt, hanc collocationem metaphoricè tantum & mysticè accipiendam esse, sensu eo, quod iusti futuri sint in gloria, quæ per dextram significari solet, impii verò in ignominia & pœna, quæ per sinistram significatur. Sed cum verba propriè accepta nullum inferant incommodum, ideo absque metaphora hoc intelligendum, quod pii ad iudicis prætribunali sedentis dextram, impii verò ad ejus sinistram sint collocandi. Interim facilè concedimus, hanc collocationem habere mysticam significationem & quidem multiplicem. Nam 1. Ambrosius serm. 61. qui est de Pentecoste, & Hieronymus in cap. 1. Eph. docent, dextram apud omnes populos honoratiorem sinistrâ haberi, meritò igitur à dextris collocandi erunt, qui summi honoris à iudice participes erunt faciendi. 2. dextra in Scripturis significat bonum, sinistra verò malum Prov. 4. v. 27. (in vers. Lat.) Vias, quæ à dextris

F fff 2

sunt



sunt, novit Dominus, perverse verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ecclel. 10. v. 2. Cor sapientis in dextra ejus, hoc est, cogitat bonum, cor stulti in sinistra ejus, hoc est, cogitat malum. Merito igitur ad dextram collocantur, qui bona egerunt in hac vita, ad sinistram verò, qui mala egerunt Joh. 5. v. 29. 3. Dextra significat læticiam, gloriam & felicitatem, sinistra verò infelicitatem, tristitiam & ignominiam 2. Cor. 6. v. 7. à dextris & sinistris, id quod ἐξ ἡμετέρων sic exponitur, per gloriam & ignominiam. Sic ergo ipsa collocatio erit prælium felicitatis expectandæ electis, & infelicitatis expectandæ reprobis. Origenes in hoc loco. Sancti collocabuntur à dextris, qui dextra opera operati sunt & plenius sunt conversi ad justitiam, quæ semper à dextris est Dei. Propterea secundum dignitatem actuum suorum dextrorum à dextris consistent & accipient mercedem suorum dextrorum dextram Regis, in qua requies & gloria est. Qui autem ad perveritatem vite seipso separaverunt à dextris propter opera sua pessima & sinistra, ceciderunt in sinistram, hoc est, in tristitiam tormentorum damnati, propter quod à sinistris consistunt. Similia occurrunt apud Hieronymum in hoc loco. 4. Per dextram bona spiritualia & futuræ vitæ, per sinistram bona corporalia & præsentis vitæ significantur. Gloss. interlin. in hoc loco. A sinistris erunt, qui sinistra, hoc est, præsentia, quamdiu vixerunt, ardentem amaverunt. 5. Christus post suam in cælos ascensionem collocatus est ad Dei dextram, tanquam verus Benjamin sive dextræ filius. Ut ergo ipse in regnum & gloriam est effectus, quando ad dextram Patris collocatus: sic ad dextram suam statuet dilectos suos, quos regni & gloriæ facere cupit participes. Autor imperf. operis in hoc loco. Apostolus dicit, Sanctos jam collocatos esse ad dextram virtutis per ascensionem & sessionem Domini Salvatoris Eph. 2. v. 6. Nam sicut in carne sua omnem carnem suscepit, & crucifixus omnem carnem crucifixit in se, & resurgens omnem resuscitavit in se: sic ascendens & sedens ad dextram Dei, omnes ad dextram collocavit. Quomodo ergo hic dicit, quod oves statuet ad dextram? sed vide, quia nunc nos collocavit ad dextram, ad agendum ea, quæ sunt dextræ partis, postea autem statuet ad dextram suam ad conregnandum (quæ tamen sic accipienda sunt, ne seorsum ad Dei dextram Christo ita propria, ut nec cum Angelis eam communem habeat Hebr. 1. v. 13. statuatur cum electis communis, sed tantum de participatione regni & gloriæ hoc accipiendum. Apostolus enim non dicit, nos æquè ac ipsum Christum ad dextram Dei collocatos, sed consedere nos fecit in cælestibus in Christo Jesu) 6. Ad dextram sistentur, qui exemplo latronis ad dextram Christi in cruce pendenti salutariter in hac vita sunt conversi; ad sinistram, qui exemplo latronis sinistri cum repudiârunt Luc. 23. v. 39. 7. Dextra est misericordiæ, sinistra justitiæ signum. Ad dextram igitur sistentur, qui ex gratuita misericordia salvabuntur: ad sinistram, qui ex justo judicio condemnabuntur. Nostrum est vera fide Christum cælestem Benjaminum amplecti & dextram justitiæ viam eligere, ne aliquando ad sinistram à Christo judice ablegamur.

2. Præparationi ad iudicium succedet solennis ejusdem administratio, quæ complectitur 1. sen-

tentiæ judicariæ promulgationem, 2. paratam ejusdem executionem. In terrenis iudiciis à congregatione iudicandorum non potest statim processus fieri ad promulgationem sententiæ, sed requiritur, ut causa prius cognoscatur, partes audiantur, testes producantur & examinentur, ac reus prius sit confessus vel convictus, ut loquuntur, ubi sæpe ob perveritatem hominum contingit, ut fidei culis extorquenda sit reorum confessio. In extremo iudicio præcedet quidem causæ cognitio, sed quia iudex est omniscius, ideò nullâ opus erit testium depositione; & quia tunc omnia occulta & abscondita in clarissima notitiâ luce collocata omnium aspectui patebunt 1. Cor. 4. v. 5. ideò nullâ opus erit reorum confessione per vim extortâ, sed ipsimet seipso accusabunt & condemnabunt. Confer tract. de iudic. §. 59. Proinde etiam Christus hoc loco in descriptione processus iudicarij à iudicandorum coram tribunali iudicis participatione rectâ progreditur ad causæ decisionem ac definitivæ sententiæ promulgationem. Tunc dicit Rex his, qui à dextris sibi erunt. Tote h. e. postquam iudex tribunal iudicarium conscendit, & congregatæ fuerunt ante eum omnes gentes ac factâ inter eas separatione, boni ad iudicis dextram, mali ad sinistram collocati, tunc demum iudex definitivam sententiam proferet, ac ut maiestatem suam declaravit in sessione super thronum gloriæ, auctoritatem in omnium gentium ad tribunal suum congregatione, dexteritatem in eorumdem separatione, ita porro a quietatem suam declarabit in sententiâ pronunciatione. In principio hujus pericopes vocaverat se Filium hominis, quia in assumta Naturâ humanâ iudicium visibiliter à se administrandum esse docere voluit, in progressu pastorem, quia pios ab impiis sese disseparaturum ostendit, sicut pastor oves ab hædis discernit: ita Regem sese vocat, quia ad regium officium pertinet, iudicariam ferre sententiam ac fideles subditos ad regni beneficia vocare, perduelles verò ab eo proferbere & relegare. Tunc demum perfecte & visibiliter implebitur, quod visio Apocalyptica Johanni præfiguratum. Apoc. 19. v. 11. Et vidi cælum apertum & ecce equus albus (qui signum exhibet humanæ Christi Naturæ niveo candore fulgentis) & qui sedebat super eum fidelis (in promissis) & verax (in verbis) & in justitia iudicat & pugnat (justus in factis) v. 12. oculi ejus sicut flamma ignis (qui denotant omniscientiam) & in capite ejus diademata multa (quæ denotant regiam maiestatem & gloriam) habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse (Matt. 11. v. 26.) v. 13. & vestitus erat veste aspersâ sanguine (tunc in passione, tunc in cruenta ex hostibus victoria) & vocatur nomen ejus Verbum Dei (ὁ Λόγος) Joh. 1. v. 1. 1. Joh. 1. v. 1.) v. 14. Et exercitus, qui sum in cælo (Angeli & beati ipsum comitaturi ad iudicium) sequebantur eum in equis albis vestiti byssino albo & mundo (quod signum puritatis, felicitatis, lætitiæ & gloriæ) v. 15. & de ore ejus procedit gladius acutus (δίσκος) Apoc. 1. v. 16. quia utrique parti bonis scilicet & malis sententiam feret v. 16. & habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum & Dominus dominantium (h. e. tunc ab omnibus Rex summus & universalis agnosceretur, quando regum illud iudicandi officium publicè in conspectu omnium administrabit.) Tunc non dicit Pilatus:

Ergo

*Ergone Rex es tu? Joh. 18. v. 33. Tunc non dicent Judæi: nolimus hunc regnare super nos Luc. 19. v. 14. Non habemus Regem nisi Cæsarem Joh. 19. v. 15. sed omnes hunc pro Rege agnoscere & coram eo se se humiliare cogentur. Idipsum opponit Christus præconceptæ & perversæ discipulorum opinionioni de terreno Messia regno, quasi dicat, Rex quidem sum, sed regnum meum non est de hoc mundo, tunc demum gloria regni mei conspicietur, quando in Angelorum comitatu veniam ad iudicium & subditis regni mei cœlestia beneficia distribuam &c. Et quia in ipso iudicii actu Christus adhuc sese Regem vocat, ex eo colligitur, quod Christus in die iudicii & in futuro seculo non desinet regnare, sicut ex loco Apostolico I. Cor. 15. v. 24. malè intellecto Photiniani colligunt. Regni enim ejus non erit finis Luc. 1. v. 34. ac potestas ejus est eterna potestas, quæ non auferetur, regnum ejus æternum, quod non corrumpetur Dan. 7. v. 14. ideo verò regnum suum in die iudicii Patri traditurus dicitur, tum quia electis ex regno gratiæ in regnum gloriæ translatis modus regnandi mutabitur, tum quia electos suos, in quibus regnum spirituale ac cœlestis obtinuit, Patri suo cœlesti glorificandos sistet. Confer tract. de judic. §. 112. Ex verbo dicitur multi colligunt, Christum voce externâ & audibili sententiam pronuntiaturum, ita ut omnes iudicem in humana Natura conspicuum non solum visuri sint, sed etiam audituri. Dionysius Carthuf. in hoc loco. *Judicium hoc non tantum erit mentale & interius, sed etiam vocale & exterius, quia iudicabit Christus non tantum ut DEUS, sed etiam ut homo, ideo ejus iudicium erit non tantum divinum, sed etiam humano modo. Ex hoc autem majus gaudium sensibile bonorum & major dolor sensibilis reproborum erit, unde non frustra hoc erit, sed & utiliter, sicut & corporalis hominum apparatus.* Et sanè verisimile existimamus, quædam à iudice prolaturum iri verba exterius ab omnibus audienda, cum primis ipsam sententiam (vel his ipsis verbis: *Venite benedicti Patris mei, ite maledicti &c.* vel aliis eisdem æquipollentibus conceptam) propter rationes expositas in tract. de Judic. §. 69. interim probare non possumus, quod Maldonatus satis audacter decernit, non solum sententiam, sententiæ rationem, piorum admirationem, sententiæ declarationem, impiorum replicationem &c. adeoq; omnia, quæ hic annotata, sed etiam plura alia voce externa à iudice esse proferenda, ac unicuique individuo causam exponendam, cur labetur, vel damnetur &c. quodque Salmeron definire audeat, iudicium hoc duraturum ab hora sexta usq; ad nonam, argumento eo, quod Christus per tres illas horas in signo crucis injustè iudicatus pependerit. Maldonato adversantur Thomas in supplem. q. 88. art. 2. Jansenius in Harmon. c. 127. & Brugensis in c. 25. Matt. qui negant, omnia sic ad literam eventura, quæ hic narrantur, ut hæc verba præcisè sint ultrò citroque proferenda à iudice & iudicandis, sed voluisse, inquit, Dominum hac narratione sermonem suum nostro accommodare captui, eodemq; novissimi iudicii rationem significare, cujus sententiæ rationes exposuimus d. tract. §. 68. ubi etiam de quæstione, per quot dies vel horas hoc iudicium duraturum sit, aliquid monuimus §. 67. hac vice com-*

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

mendamus modestiam Augustini lib. 20. de civ. Dei c. 30. sic scribentis: *Quomodo atq; quo ordine iudicium illud sit futurum, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet ad perfectum consequi hominum intelligentia.* Illud ex verbo, dicitur, certius colligi potest, Christo etiam secundum humanam Naturam ἀνθρώπων ἕνεκα & διὰ τὴν ἀνθρώπων competere. Neque enim Christus homo sententiam hanc pronuntiabit, ut Secretarius vel Notarius, vel minister, sed ut iudex, cui potestas iudicii facienda data Joh. 5. v. 27. quod ipsum superius multis & evidentibus confirmavimus argumentis.

Cæterum duplex à iudice promulgabitur sententia, prior concernet oves, stantes à dextris, h. e. electos; posterior verò hædos stantes à sinistris, h. e. reprobos. Electos prius compellabit iudex, quam reprobos. ut ostendat se proniorem esse ad recordandum & remunerandum benefacta piorum, quam ad puniendum malefacta impiorum. Aut. oper. imp. h. l. *Quare non illos ante, qui sunt ad sinistram, alloquitur? quia paratior est Deus semper ad benefaciendum quam ad malefaciendum.* Nam bona bonis secundum propositum suum præstat, quia bonus est, malis autem mala contra propositum suum facit (quasi) invitus quia iudex est. Si enim Christus delectaretur in pena peccatorum, nunquam seipsum pro peccatoribus tradidisset. 2. quia electi ad dextram in loco nobiliore & honoratiore consistent. Jam verò in humanis prius compelli solent, qui honoratiore & magis propinqui. 3. ut impii à sinistris stantes intelligant, quantam felicitatem suâ culpâ amiserint. Bernhard. ferm. 8. in Pf. *Qui habitat &c.* Prius benedicti vocantur in regnum, quam maledicti in caminum æterni ignis deficiantur, quod videl. acriter doleant videntes quid amiserint & iusti videbunt ac latibuntur considerantes quod evaserint. Absolvitur autem promulgatio sententiæ erga pios tribus partibus: 1. sententiæ pronuntiatione. 2. læta sententiæ ratione. 3. ejusdem declaratione. Pronuntiatione sententiæ complectitur 1. amicam invitationem Δεῦτε Venite. Est hoc adverbium hortantis simul & accersentis. *Adeste hic* Matth. 4. v. 19. c. 11. v. 28. c. 22. v. 4. &c. LXX. utuntur pro verbo imperativo וּבִינְיָוֹ venite Esa. 56. v. 9. & 12. Dan. 3. v. 37. (cui respondet וּבִינְיָוֹ rad. וּבִינְיָוֹ quo Syr. h. l. utitur) It. pro וּבִינְיָוֹ venite accedite Jud. 9. v. 15. Job. 17. v. 10. Ps. 94. v. 6. Jer. 51. v. 10. pro וּבִינְיָוֹ venite Gen. 37. 19. 2. Reg. 1. v. 6. Neh. 2. v. 17. &c. ac pro וּבִינְיָוֹ agite Gen. 11. v. 3. Exod. 1. v. 10. quod est non tam imperantis, quam desiderantis & amicè compellantis vocula, cognitionem habens cum rad. וּבִינְיָוֹ dilexit, carum habuit. Significatur igitur, quod Christus iudex amico vultu ac verbis blandis cum singulari quadam amoris & benevolentia significatione electos sit compellaturus, eosque ad se invitaturus. Vocat ad se, quia vult regni & gloriæ suæ eos participes reddere juxta suam promissionem Joh. 12. v. 26. *Ubi ego sum, illic etiam minister meus erit*, ac loquitur quasi mox in cœlum, è quo descenderat, rediturus, invitans ipsos, ut se Regem suum sequantur. *Venite* oves ad pastorem, discipuli ad Magistrum, filii ad parentem, fratres ad fratrem, sponsa ad sponsum, subditi ad Regem, aquilæ ad corpus, imò membra ad caput. *Venite* è tenebris ad lucem, ex procelloso mari in tranquillum portum, ex bello ad triumphum, ex labore ad requiem, ex servitute &

Ffff 3

capti-

captivitate ad libertatem, ex tristi exilio in patriam, ex tuguriis in aulam regalem, ex societate malorum in consortium Angelorum & beatorum, ex terris in cœlum, ex morte in vitam, ex ignominia in gloriam sempiternam. Audivistis & verâ fide complexi estis *verbum gratiosum*, quo per ministros meos in Evangelii prædicatione vos invitavi *Esa. 55. v. 1. Matth. 11. v. 28. Joh. 6. v. 35. æquum est, ut jam audiat *verbum gloriosum*, quo ad possessionem regni cœlestis in Evangelio promissi vos invito. In vita vestra vos vocavi ad regnum gratiæ, cui vocationi per fidei obœdientiam respondistis, jam vos voco ad regnum gloriæ & possessionem hereditatis æternæ. In vita, quam in terris exegistis, cupidissimè expectastis & desiderastis meum adventum quotidie suspirantes. Quando veniemus & apparebimus ante faciem Dei nostri *Psal. 42. v. 3. Psal. 84. v. 3. Veni Domine Jesu! Apoc. 22. v. 16. en jam præsentem vobis sisto, desiderium vestrum impleo, vosque ad me ipsum assumo, ut ubi ego sum, ibi & vos sitis Joh. 14. v. 3. Veni amica mea, speciosa mea Cant. 2. v. 10. jam enim hyems (seculi præcedentis) transit, imber (adverſitatum) abiit & recessit v. 11. Flores apparuerunt in terra nostra, vox turturis audita est, ficus protulit grossos suos v. 12. (jam appropinquat ver æternæ serenitatis & felicitatis) Veni de Libano, sponsa mea, coronaberis Cantic. 4. v. 8. Veni in hortum meum soror mea sponsa Cantic. 5. v. 1. in hortum Paradisiacum omnis generis fructibus & gaudiis abundantem.**

2. Blandam compellationem. *Benedicti Patris mei.* Quando homines aliquem vocant *benedictum Domini*, tum significant ipsum esse Deo peculiariter dilectum ac multis ab eo beneficiis affectum, simul etiam precantur, ut Deus ipsi porro faveat & omnis generis bonis ipsum cumulet. *Gen. 24. v. 31. Ingredere benedictæ Domini Jud. 17. v. 2. Benedictus filius meus Domino. 1. Sam. 15. v. 13. Benedictus tu à Domino, inquit Saul ad Samuelem. cap. 23. v. 21. Benedicti vos à Domino, inquit Saul ad Ziphæos, h. e. Deus vobis propterea benefaciat. Sed quando Christus omnium iudex pios h. l. vocat *benedictos Patris sui*, tum plura hæc phraſi complectitur. Primò enim ac præcipuè eò respicit, quòd per fidem *benedicti sine cum fidei Abrahamo Gal. 3. v. 3. h. e. quod promissum benedictum semen Abrahamæ, Messiam ex ipsius posteritate nasciturum, verâ fide fuerint amplexi Gen. 12. v. 9. cap. 18. v. 18. cap. 22. v. 18. cap. 26. v. 4. quod fide verâ & perseverante crediderint in se verum Messiam, quem misit Deus benedicentem humano generi Act. 3. v. 25. quod per illum à maledictione legis fuerint liberati & velut spirituales Israelitæ benedictionis à DEO participes facti Gen. 32. v. 20. Gal. 3. v. 13. & 14. & c. 2. quòd propter Messiam utpote dilectum Dei filium ipsi quoque sint peculiariter Deo grati & accepti Eph. 1. v. 6. Qui enim verâ fide Christum τὸν υἱὸν τῆς ἀγάπης & Θεὸν amplectitur Coloss. 1. v. 13. is per & propter hunc dilectum filium fit benedictus Domini, hoc est, dilectus Domini vitâ æternâ ab ipso donandus. 3. quod in hoc benedicto semine Abrahamæ in Christo electi fuerint ad vitam æternam ante jacta mundi fundamenta Ephes. 1. v. 4. hanc enim explicationem suppediat**

ipse Christus, quando statim subjungit, *possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. 4. quod Deus non solum ab æterno eos in Christo ad vitam æternam elegerit, sed etiam in tempore benedixerit eis omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Ephes. 1. v. 3. Dei enim benedicere, est benefacere, cui explicationi frustra à Maldonato hoc opponitur, quòd quidam ex damnatis ejusmodi spiritualia beneficia à Deo acceperint, ac proinde non ad præterita beneficia, sed ad futuram gloriam in vocabulo Benedicti respectus haberi videatur. Nam benedictio illa, quæ electis hic tribuitur, includit simul beneficium perseverantiæ, quo destituti fuere reprobi & accepta à Deo beneficia propria culpa repudiarunt. 5. quod in hoc mundo hætenus pro contentis & maledictis habiti fuerint, jam verò publicè coram omnibus esse demonstrandum, quòd sint electi ac dilecti Dei filii in æternâ hereditatis possessionem immittendi. Ut autem in aliis Scripturæ dictis electio & consilium Dei de salute nostra, ejusque in tempore executio ad Patrem tanquam primum fontem reducitur, ita quoque electos Christus hic vocat *benedictos Patris sui*, quippe à quo non solum ante secula sunt electi, sed etiam in tempore omnis generis beneficiis ad salutem consequendam necessariis affecti. Potuisset dicere: Venite benedicti mei, sed maluit dicere, *benedicti Patris mei*, quia loquitur ut homo, per quem Pater statuit judicare orbem terrarum Act. 17. v. 31. & cui Pater dedit potestatem faciendi iudicium Johann. 5. v. 27. Ad eum ergo refert potestatem regni, inquit Rabanus in catena, à quo ipse est Rex genitus secundum divinam Naturam & in tempore factus Rex, iudex ac Dominus secundam humanam Naturam Act. 2. v. 36. Emphasit etiam in eo est, quòd non dicit, *Benedicti Patris cœlestis*, sed *benedicti Patris mei*, quasi dicat Pater cœlestis me dilectum suum filium paterno & ardentissimo amore amplectitur, quia verò me constitutum à Patre mundi Salvatorem amastis & credidistis, quòd à Deo exiverim, ideo etiam vos Pater amat Joh. 16. v. 27. & per me cœlestis regni hereditatem vobis distribuit. Proinde non tantum est meus, sed etiam vester Pater Joh. 20. v. 17. ac vos eritis mei coheredes Rom. 8. v. 17. unde jam subjungit.*

3. Regni cœlestis traditionem. *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Non dicit, *querite regnum Dei Matth. 6. v. 33. non dicit, complacitum est Patri vestro dare vobis regnum Luc. 12. v. 32. non amplius dicit, sedere ad dextram meam & sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo Matthæi 20. v. 23. Marc. 10. v. 40. sed dicit, percipite & possidete regnum, κληρονομεῖν proprie significat hereditate obtinere Galat. 4. v. 30. quia hereditates olim per sortem distribui solebant ac terra Chanaan filii Israel in hereditatem promissa per sortem fuit distributa. LXX. utuntur pro וְיִשְׂרָאֵל quod Syris est וְיִשְׂרָאֵל jure successionis vel hereditatis obtinuit Genes. 15. v. 3. cap. 21. v. 10. cap. 22. v. 17. & c. ac pro וְיִשְׂרָאֵל quod includit simul proprietatem ac illius rei propria possessionem Exod. 23. v. 30. Num. 18. v. 20. c. 26, 53. & c. Tria igitur per ver.*

verbum κληρονομίατε Christus indicat. Primo quidem quod electi vitam aeternam non accipiant tanquam debitam operum suorum mercedem, sed tanquam paternam hereditatem jure adoptionis, quia per fidem facti sunt Dei filii ac proinde etiam ipsius heredes Galat. 4. v. 7. nulla enim filiatio vel υιοθεσία est absque hereditate. Secundo quod caelestibus aeternae vitae bonis vel quietate, stabili ac perpetua possessione sunt futuri, quae enim hereditario jure alicui obtingunt, eorum non est usufructuarius, sed proprietarius, unde Chrysostom. h. l. exclamat: *O quanta gloria, quanta beatitudo hac verba sunt! Non enim dicit, accipite, sed hereditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quae vobis à principio debebantur.* Tertio quod possessio terrae Canaan in hereditatem Israelitis data fuerit typus caelestis illius hereditatis, quam piis in die iudicii distribuere velit. Jam vero promissa illa terra sic describi solet, quod *fluat lacte & melle*, h. e. quod abundet omnium rerum ad vitae sustentationem necessarium copia. Sed longe augustior ac sublimior erit caelestis hereditas, quam Paulus vocat *aeternam hereditatem*. Hebr. 9. v. 15. *divitias gloriae hereditatis*; h. e. gloriosae & illustris hereditatis Eph. 1. v. 18. Petrus eam vocat κληρονομίαν ἀφθάρτων, ἀμικτων καὶ ἀμάραντων 1. Epist. 1. v. 4. ex qua electi nunquam ejicientur vel excident, sicut Israelitae à terra Canaan sunt expulsi, quaque nullo veniunt cum onere, sicut hujus mundi hereditates; sed tota est gaudium & beneficium. ἀφθάρτων est, ergo finem non habebit, ἀμικτων est, ergo illius gaudium nullo dolore vel tristitia contaminabitur, ἀμάραντων est, ergo ejus felicitas semper in pleno vigore durabit, nec ulla nos ejus capiet fatietas. Atque haec praesentia caelestis hereditatis colligitur etiam ex eo, quod Christus eam hoc loco vocat *regnum*. Paulo post eam vocavit vitam aeternam v. 46. hic vero regnum eam appellat, quae est perquam gloriosa & jucunda appellatio. Quid enim regno augustius, magnificentius jucundius ac gloriosius cogitari potest? sed quid omnia mundi regna aestimanda ad caelestis illud regnum, in quo electi abolitis omnibus hostibus, Diabolo, morte, peccato, mundo, inferno &c. in summa & ineffabili gloria cum Christo regnabunt? Apoc. 20. v. 6. Hoc regnum non amplius tunc habebunt in se, sed possidebunt in re, nec quaedam duntaxat illius bona, sed totum regnum possidebunt, unde Christus non dicit, *Venite, possidete honores, divitias, bona & gaudia regni, sed ipsum regnum*. In vita jam exacta fuistis cives in regno gratiae, jam evexam vos ad regnum gloriae. Fideles mihi fuistis in regno meo, jam transferam vos in regnum Patris mei, hoc est, ex Ecclesia militante in triumphante vos deducam Eph. 5. v. 5. Patientiam exhibuistis in regno crucis, jam transferam vos in regnum lucis, a quo animo suscepistis priorem hereditatis meae partem, videl. afflictiones & crucem, aequum est, ut posteriorem hereditatis meae partem, videl. regnum & gloriam caelestem vobi distribuam Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 12. *possidete regnum* tanquam spirituales Reges 1. Pet. 2. v. 5. Apoc. 1. v. 6. in vita vestra dominati estis super Diabolum, mundum & carnem, aequum est, ut in plenariam regni caelestis possessionem vos immittam. August. tract. 68. in Joh. *Qui regnum erant* Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

tis & non regnabatis (plene ac perfecte ab omni hostium impugnatione liberi) *venite, regnate, ut quod in se fueratis etiam in re esse possitis.* Describit autem hoc regnum, in cuius plenariam possessionem pios immittit, ab aeterna ejusdem praeparatione. *Possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.* Dicit esse regnum paratum videlicet praedestinatione, hoc est praedestinatum & decretum, ita enim verbum ετοιμάζειν usurpatur Matth. 20. v. 23. Marc. 10. v. 40. 1. Cor. 2. v. 9. Hebr. 11. v. 16. Paratum vero intelligit à Patre caelesti, ut apparet ex verbis praecedentibus: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum* scilicet à Patre meo, sicut haec regni praeparatio etiam alibi Patri tanquam fonti salutis nostrae ascribitur Matth. 20. v. 23. Eph. 1. v. 4. non tamen excluso Filio, quippe in quo tanquam Mediatore facta est electio, & qui una cum Patre nos elegit Joh. 13. v. 18. nec Spiritu sancto, quippe qui est unus cum Patre & Filio Deus. Quod autem Patri hanc praeparationem regni sive praedestinationem adscribit, fit ob eandem causam, propter quas electos benedictos, h. e. electos & dilectos Patris sui filios appellat. Sensus igitur est. Quia per fidem in me promissum Messiam, Mediatorem & Salvatorem facti estis Patris caelestis filii, ideo etiam benignissimus ille Pater vos, quos ab aeterno praescivit in me credituros Rom. 8. v. 29. 2. Thess. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 1. praedestinavit ad salutem, & sic de amplissima hereditate vobis filiis suis prospexit. Possidete igitur hanc hereditatem, hoc regnum vobis paratum. Non dicit, paratum mihi & vobis, ipse enim ut aeternus & essentialis Dei filius ab aeterno hanc hereditatem possedit, ideo non fuit opus, ut per praedestinationem ipsi demum pararetur. Nec dicit, paratum Angelis sicut postea de igni infernali dicit, quod paratus sit Diabolo & Angelis ejus, ne electi videantur consortium cum Angelis per opera bona promeriti, sicut reprobi consortium cum malis Angelis operibus suis pessimis promerentur. Nec simpliciter dicit, paratum esse electis hoc regnum, sed addit, paratum esse *ἀπο καταβολῆς κόσμου, à constitutione mundi.* Chrysostom. in cap. 1. ad Ephef. enarrans illud Apostolicum, elegit nos *ἀπο καταβολῆς κόσμου* inter cetera sic scribit: *καλῶς καταβολῆν εἶπεν, ὡς ἀπὸ τῆς οὐρα κατεβέβηκεν μετὰ τὸν δευτέρου καὶ τρίτου ἀφ' αὐτῶν τῶν οὐρανῶν ἔθεθ, ἐπὶ τῶν ἀλλὰ τῶν ἀνακεχωρητόν τ' φύσεως καὶ πολὺ τὸ μέσον κτισμάτων καὶ κτίσεων.* Intellexit ergo *καταβολῆν* quasi ex alto deorsum mundi factum & ad inum mundi fabricam dejectam, rerum materialium & spiritualium & mundi intelligibilis ad sensu perceptum intercapedinem & precipue opificii in rerum Naturam producti ad ipsum opificem & productorem hoc verbo significari volens. Origenes lib. 3. *περὶ δερῶν* de mundi principio loquens *καταβολῆν & κόσμον καταγωγῆν* intelligit, quasi hoc vocabulum ad descensum superiorum ad inferiora alluderet. Sed *καταβάλλειν & καταβάλλεσθαι* significat simpliciter fundamenta jacere, primordia constituere. Plato οὐρανὸν ἡσ ναυπηγὸς ναυπηγίας δεχόμενος καταβάλλειν. Theoph. 1. de caus. ἡ φύσις ἐδὲν κατὰ τὴν τέχνην πῶς καὶ μέγιστον ἀλλ' ἀπὸ τῆς αἰθέρας καταβάλλεται. Themistius in 6. Phys. *ὅτι τὰ θεμελίαι καταβάλλεται ἐγένετο οὐκ ἄν.* Plutarc. Zenonem vocat *καταβάλλομενον*, h. e. *πρὸς καταρῆξαν τῶν Στασιῶν αἰρέσιν* primum autorem & conditorem haeresos Stoicorum Ffff 4 2. Mac-

2. Maccab. 2. v. 30. καταβολή accipitur pro structura aedificii. Syrus habet nomen  $\text{מבטן}$  quod significat fundamentum, constitutio. Ex quibus omnibus intelligitur,  $\text{δὸς καταβολῆς κόσμου}$  ad verbum rectè verti à foundatione sive constitutione mundi, à jactis mundi fundamentis, ab eo tempore, quo mundus est conditus. Sed cum prædestinatio priorum ad salutem facta sit ab æterno, adeoque  $\text{ὁ καταβολῆς κόσμου}$  Eph. 1. v. 4. quare Christus hoc loco dicit, eam factam à constitutione mundi? Quidam statuunt, Christum hic non præfigere punctum temporis, quo æternæ vitæ hereditas filiis Dei destinata, sed tantum ad paternam Dei curam nos revocare, quâ nos complexus est, antequam nati essemus. Atqui paulò post ostendemus, non sine singulari quadam emphasi hoc adjectum esse, quod piis ab æterno cœlesti illud regnum sit paratum. Quidam confugiunt ad creationem cœli empyraei factam die primo, h. e. illo ipso, quo mundi fundamenta jacta, vel etiam secundo, quo Deus firmamentum produxit, cujus partem statuunt cœlum illud beatorum. *Mundus*, inquit Piscator Herborenensis, *fundatus est die primo, cœlum conditum die secundo. Ergo regnum cœlorum eodem die paratum.* Salmeron tom. 7. tract. 4. distinguit inter beatitudinis locum & statum. *Regnum hoc*, inquit, *quod attinet ad locum, h. e. cœlum empyraei & Angelos, qui in eo loco conditi sunt & beati effecti, ante mundi constitutionem fuit paratum, à mundi verò hujus nostri constitutione, quantum attinet ad beatorum hominum visionem Dei & fruitionem, nam ex tempore contigit, & non est ab æterno.* (Sed quid de cœlo empyraeo statuendum sit, alibi fuit expositum. Nec probare possumus illam quorundam veterum sententiam, quod Angeli & cœlum beatorum ante visibilis hujus mundi creationem à Mose descriptam sint condita.) Ibidem adhuc magis absurdam & inconvenientem affert distinctionem inter eos, qui absolute & ab æterno prædestinati, qui in judicio non opus habent judicari, sed ipsi tanquam Assessores judicabunt nationes, ac propterea illis dicitur regnum paratum ante mundi constitutionem, & inter eos, qui tanto gradu digni non fuerunt, qui propterea dicuntur à constitutione mundi etiam in merito Dei electi. Atqui Scriptura ut unicam tantum novit credentium ad salutem electionem, ita quoque omnes homines tribunali Christi sistendos asserit. Quidam statuunt Christum minus dixisse ac plus significare voluisse, non enim iustis tantum è constitutione mundi paratum est regnum, sed etiam ab æterno. Quidam respondent, Christum se accommodasse imbecillitati mentis nostræ, & quia non facile æternitatem, quæ fuit ante creationem mundi, comprehendimus, idè dixisse à creatione mundi, pro eo, quod est ab æterno. Quidam eò confugiunt, quod Deus hominem initio creaverit, ut dominaretur non solum in hoc mundo, sed etiam post hanc vitam cum Deo, proinde cum per Christum credentibus hoc regnum per lapsum protoplastorum amissum, sit reparatum, inde hic regnum cœlesti dici ipsis paratum à mundi constitutione. Sed simplicissime respondetur, esse usitatam Scripturæ phrasin  $\text{ὁ καταβολῆς κόσμου}$  usurpari pro eo, quod est ab æterno, vel ut Paulus exponit  $\text{ὁ καταβολῆς κόσμου}$ . Quia enim inter æternitatem & creationem mundi à Mose descriptam sive tempus

quod cum creatione cœpit, nihil est medium, idè quod in creatione mundi jamdum extitisse, vel ab ea fuisse dicitur, illud æternum esse intelligitur. Sic Psal. 90. v. 2. dicit Moses: *Priusquam montes nascerentur*  $\text{מֵעוֹלָם}$  à seculo *et us, h. e. ab æterno.* Prov. 8. vers. 23. *Sapientia ab æterno à Patre genita dicitur*  $\text{בְּרֵישִׁית עוֹלָם}$  à seculo *principatum habui, à principio*  $\text{בְּרֵישִׁית אֶרֶץ}$  ab initiis terra, vers. 22. *Dominus possedit me principium viae suae, ante opera sua, h. e. antequam quicquam faceret.* Sirac. 24. v. 14.  $\text{ὁ ἀπ' ἀρχῆς ἐκτίσθη με}$  (vel potius  $\text{ἐκτίσθη με}$  ut habetur Prov. 8. v. 22. *Jubi*  $\text{ὁ ἀπ' ἀρχῆς}$  sunt synonyma. Matth. 13. v. 35. *eruitabo abscondita ἀπὸ καταβολῆς κόσμου*, quod Ps. 78. v. 2. dicitur  $\text{בְּרֵישִׁית}$  à principio Joh. 1. v. 1.  $\text{ἐν ἀρχῇ}$  in principio erat  $\text{ὁ λόγος}$ , h. e. ab æterno. 2. Thess. 2. v. 13. *Deus elegimus ad salutem ἀπ' ἀρχῆς*, h. e. ab æterno. 1. Joh. 1. vers. 1.  $\text{ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς}$ , hoc est, ab æterno Apoc. 16. v. 8. *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ ἀπὸ καταβολῆς κόσμου*, hoc est ab æterno, quia scriptio illa in librum vitæ est prædestinatio ab æterno facta. Idè verò Christus remittit piis ad æternam hujus regni preparationem sive electionem. 1. ut ostendat, quod gratis, non autem propter merita operum suorum ad regnum illud evehantur, tota enim Scriptura testatur, electionem esse gratuitam. 2. ut Patris sui dilectionem erga ipsos commendet, quod de regno ipsis prospexerit, antequam essent inciperent. Chrysostomus homil. 34. in Genes. *de bonitatis excellentiam, quantâ erga genus nostrum misericordiâ usus sit, ut ante jacta mundi fundamenta nobis regni cœlorum fruitionem preparare dignatus sit.* Id. homil. 1. ad Tit. *Ostenditur ex his nobilitas nostrâ, quod non nuper, sed olim atque ab ipsis initiis dilecti sumus.* 3. ut insinuet regni hujus perpetuam durationem. Sicut ab æterno piis paratum est regnum, ita quoque in perpetuam possessionem ipsis datur, proinde ipsis non est metuendum, quasi ut regnum recens exortum sit aliquando desitutum. Neque pugnat cum hac preparatione regni ab æterno facta, quod Christus Joh. 14. v. 2. discipulis promittit, *se abiturum & locum in illo regno ipsis paraturum*, quia non nisi propter Christum & credentibus in Christum illud est paratum. Christi passio & meritum est causa, propter quam mansiones in regno cœlesti credentibus sunt paratae, unde dicuntur *electi in Christo* Ephes. 1. v. 4. quâ de re inferius plura. Hoc loco notandum. 1. Omnia & singula hujus sententiæ absolutoriæ verba testari regnum cœlesti esse gratuitum Dei donum, non autem operum nostrorum meritum. Nam primò vocat eos *benedictos*, non quod *pro bonis meritis ipsis benedictio debeat*, ut vult Rabanus, in ejusmodi enim significatione vocabulum *benedictus* nusquam in tota Scriptura sacra usurpatur, sed quod sint *benedicti in benedicto semine Abraham* per fidem apprehenso Galat. 3. v. 8. & 9. *Si autem ex fide, jam non ex operibus* Rom. 11. vers. 6. Vocantur *benedicti*, h. e. dilecti in Christo, non autem benedicentes se in operum suorum meritis, in iisque confidentes Ps. 10 v. 3. *Secundò vita æterna datur eis ut hereditas.* Ergo non ut meritum; Est hereditas filialis. Ergo non merces servilis, *κληρονομησατε* inquit, quod non significat *per merita vestra acquirite*, ut

Barra-

Barradius exponit, cujus significationis nullum ex Scripturis produci potest exemplum, sed hereditate vel in hereditatem accipite tanquam paternum bonum vobis, ut filius jure adoptionis dandum. Jam verò per fidem obtingit piis *υιοθεσια* Joh. 1. v. 12. Galat. 3. v. 27. Ergo etiam hereditas cœlestis. Si autem ex fide. Ergo non ex operibus, ut oppositiones Apostolicæ luculentè testantur Rom. 3. v. 28. cap. 11. v. 6. Galat. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 8. &c. Excipit Bellarminus lib. 5. de Justif. cap. 3. *vitam aeternam habere conditionem & mercedis & hereditatis, dari enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis proprium & non dari nisi filiis, quod est proprium hereditatis.* Sed quid ad hanc exceptionem respondendum sit, latè expositum fuit in tract. de bonis operibus §. 100. hoc loco urgemus unicum illud, quod Christus Marc. 10. v. 15. & Luc. 18. v. 17. dicit: *Quisquis non receperit regnum Dei ut parvulus, non intrabit in illud.* Jam verò parvulus, qui mox à Baptismo decedunt, vita aeterna donatur solo jure hereditatis, non jure mercedis, ut d. l. fatetur Bellarminus. Ergo nisi quis solo jure hereditatis vitam aeternam accipiat, non intrabit in illud. Lucas Brugensis in comm. h. l. aliter excipit, *non excludi operum merita, quia hereditas cœlestis non adjudicatur piis ut filiis Naturæ seu generatione, quemadmodum in humanis obvenit hereditas filiis à morte parentum, qualescunque tandem ipsi sint, boni vel mali, modo Naturæ filii, sed adjudicatur tanquam filiis adoptione, imitatione, similitudine, quod quidem qui ratione utuntur, absque bonorum operum meritis esse non possent, unde illis tantum adjudicatur, qui perseverarunt in Spiritu adoptionis.* Resp. cum filiatione, si ve ea sit ex generatione si ve adoptione perpetuo atque individuo nexu conjuncta est hereditas, teste Apostolo Rom. 8. v. 17. Galat. 4. v. 7. Ergo quamprimum credentes fiunt filii Dei per fidem, statim etiam fiunt heredes vitæ aeternæ, quod ipsum agnoscit Bellarminus lib. 5. de justif. cap. 14. circa finem sic scribens: *Hoc ipso, quod incipimus esse filii, Dei incipimus jus habere ad hereditatem felicitatis aeternæ. Nam si filii, etiam heredes, incipimus autem esse filii Dei, antequam incipiamus bene operari, imò etiam baptizati infantes per solam illam gratiam ante omnia opera bona salvantur.* Hæc totidem verbis Bellarmin. Brugensi difertè contradicens. Distinguere autem debebat Brugensis inter id, per quod reddimur filii & heredes & inter id, quo demonstramus nos esse filios & heredes. Heredes vitæ aeternæ reddimur, non per imitationem & similitudinem, sed per *υιοθεσιαν* si ve adoptionem; *In filios adoptamur per fidem, antequam bene operari incipiamus,* ut Bellarminus rectè scribit, per imitationem & similitudinem non reddimur Dei filii & heredes, sed genuinos filios & veros heredes nos esse demonstramus. Declarabo hoc exemplo ex humana hereditate petito. Servus in domo etiam si fidelem obœdientiam hero præstet, ejusque mores sedulo imitetur, non tamen per hanc obœdientiam & imitationem fit heres, nisi à domino adoptetur. Filius autem est heres non propter imitationem, sed ob filiationem, cum qua hereditas semper est conjuncta. Hoc quidem verum est, quod per inobœdientiam filius possit amittere hereditatem, quando scilicet propter eam à parente exheredatur: sed per obœ-

dientiam & imitationem non possit esse heres, nisi prius esset filius nativitate vel adoptione. Sic credentes per obœdientiam & peccata contra conscientiam amittere possunt hereditatem cœlestem, sed per obœdientiam & imitationem non acquirunt hereditatem, quæ cum Brugensis non distinguat, inde & se & alios seducit. Excipiunt alii, *vitam aeternam posse simul esse mercedem & hereditatem, quia vocatur ἀνταπόδοσις τῆς κληρονομίας* Coloss. 3. v. 24. Resp. ibi non agitur de mercede meriti ex regula justitiæ debita, sed de mercede gratiæ. Quemadmodum in humanis filius nascitur heres, nec operibus id demum promereri necesse habet: sic pii ex Deo nati sunt in Christo dilecti Dei filii, *quod si filii, utique & heredes.* Interim tamen quemadmodum ampla hereditas simul est præmium filialis obœdientiæ: ita vitæ cœlestis præmia largissimè & longè ultra condignum piorum labores & afflictiones remunerantur. Confer tract. de bonis operibus §. 113. Tertio per verbum *κληρονομήσατε* remittuntur ad typum terræ Canaan, ut superius monuimus. Terra Canaan non propter operum merita, sed ex gratuita Dei benignitate Israelitis fuit data. Ergo etiam vita aeterna non ex operum meritis, sed ex gratuita Dei benignitate spiritualibus Israelitis datur. Antecedens patet ex Deut. 9. v. 4. & seqq. ubi singulariter observa, quod tribus distinctis vicibus repetatur ac Israelitis probè inculcetur, quod non propter justitiam suam occupaverint terram Canaan. Quarto regnum cœlestis dicitur piis paratum à constitutione mundi, h. e. electi sunt ad illud regnum ante jacta mundi fundamenta Eph. 1. v. 4. *antequam quicquam boni vel mali egissent* Rom. 9. v. 11. Jam verò preparatio illa regni si ve electio ad regnum est merè gratuita, ut in tract. de elect. §. 193. multis demonstravimus. Ergo etiam ipsa possessio regni datur ex gratia & non ex merito. Autor imp. operis hom. 54. *Si Deus secundum angustias humane justitiæ cœlam creare voluisset, utique post operum hominum illud creasset. Nunc autem quoniam non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem Sanctorum, ideo antequam Sanctos crearet in seculo, regnum cœlorum præparavit in celo.*

2. Normam judicii, juxta quam supremus judex de piis in die pantoeritico sententiam feret, fore verbum Evangelii, quod verè fide in hac vita sunt amplexi. Christus enim illis dicit: *Venite.* Jam vero vox Evangelii est amica & blanda illa vox, per quam Christus tum in hac vita, tum in die judicii credentes ad se vocat. Dicit illis, *Venite benedicti.* Jam verò post lapsum benedictio non ex lege & ex operibus legis, sed ex Evangelio & fide Galat. 3. v. 9. & 10. Dicit illis, *Venite benedicti Patris.* Jam verò in Evangelio, paternus Dei affectus in Christo & propter Christum dilectum suum Filium nos amore complectentis nobis revelatur Eph. 1. v. 6. Dicit illis, *Hereditate possidete regnum.* Jam verò *υιοθεσια* illa, cui cœlestis hereditas conjuncta, est ex fide per verbum Evangelii in cordibus accensa: *Lex autem non est ex fide.* Galat. 3. v. 12. *hereditas non est ex lege* vers. 18. ac regnum gloriæ non per legem, sed per Evangelium nobis offertur. Lex promittit quidem regnum & vitam, sed cum conditione perfectæ obœdientiæ, quam cum in hac vita propter carnis imbecillitatem nemo præstare possit

possit Rom. 8. v. 3. inde legis promissiones redduntur nobis inutiles. Dicit illis, *possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi*, per æternam scilicet electionem. Jam verò gratuita illius electionis decretum non in lege, sed in Evangelio nobis proponitur. Quæ omnia evidenter probant, pios non ex lege, sed ex Evangelico judicandos & in iudicio absolvendos esse, proinde non est quod Jesuita Mejerus inter *Christum agnum* in hoc seculo & *judicem* in futuro seculo (respectu piorum) distinguat. Impiis quidem severus iudex erit, sed pios instar micissimi agni amice & blandè compellabit, nec ex legis rigore cum ipsis ager, sed ex Evangelii *Intercessione* sententiam erga ipsos pronuntiabit. 3. Christum esse *filium in domo Patris cœlestis* Hebr. 3. v. 6. ac proprium regni cœlestis possessorem, in cuius consortium verè credentes utpote fratres suos ex gratia introducit. *Duplici enim jure*, quod Bernhardum dixisse lib. 1. de ipsius vita cap. 13. memoratur, *regnum colorum possidet hereditate Patris & merito passionis*, altero ipse contentus est, alterum nobis donat. 4. Fontem & causam principalem salutis nostræ esse gratuitum Dei favorem in Christo, in quo & propter quem elegit nos ab æterno & omni benedictione spirituali benedixit in tempore. 5. Credentes esse benedictos Dei, h. e. dilectos & gratos Dei filios, proinde etiam heredes, *heredes quidem Dei, coheredes vero Christi* Rom. 8. v. 17. 6. Suavissimum illud verbum, *Venite benedicti &c. efficacissimum solatium contra mundi odia & persecutiones nobis exhibere posse*. Quòd si enim mundus nobis dixerit, *Abite maledicti*, cogitemus Christum aliquando nobis dicturum: *Venite ad me benedicti*. Si mundus nobis dixerit, *abite relinquitte bona vestra*, cogitemus Christum aliquando nobis dicturum, *possidete regnum*. Hoc erit regnum *ἀσράλευτον* Hebr. 12. v. 28. è quo nullus Tyrannus nos exturbare poterit, cum contra omnia terrena sint mobilia & mutabilia.

2. Huic à se pronuntiatæ sententiæ subjungit iudex rationem. *Esurivi enim, & dedistis edere, sitiivi & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me*. In hoc textu mirificè tripudiant meritorum patroni, eumque vocant *invidium Achillem pro meritis operum & inevitabile tulum*, quo gratuite justificationis & salvationis propugnatores confingere possint. Sed triumphos agunt ante victoriam. Christus enim hæc opera caritatis à piis sibi in membris suis præstita non adducit tanquam *επισημειωδ*, h. e. tanquam causam salutis meritoriam & efficientem (id enim non solum fidei analogiæ in aliis Scripturæ locis verbis claris & perspicuis traditæ, verum etiam argumentis ex ipsa iudicis sententia paulò antè adductis è diametro adversaretur) sed tanquam *σημαστικὸν*, h. e. tanquam externa indicia ac testimonia, quibus pii sese electos, verè credentes & benedictos Patris in hac vita demonstrarunt, atque electionem & vocationem suam firmam facere sategerunt. 2. Petri. 1. vers. 10. proinde vocula *ἃ* hoc loco non est *causalis* sed *ratiocinativa* (ut loquuntur) non exprimens causam meritoriam vel efficientem vitæ æternæ, sed dictorum consequentiam subjiciens, h. e. exponens rationem latæ à iudice sententiæ, quia scilicet operibus caritatis sese tales esse demon-

strarunt, quales in ipsa sententiâ à iudice fuerant vocati. Nimirum particula *ἃ* non semper notat *causam res efficientem vel meritoriam*, sed in genere notat *rationem aliquam & argumentum*, sive illud petitum sit à causa, & à priore, sive ab effectu & posteriori, cuius posterioris significationis exempli occurrunt Matth. 16. v. 2. & 3. 1. Cor. 10. v. 5. & c. quo sensu etiam particula *ὅτι* usurpatur Luc. 7. vers. 47. 1. Tim. 1. v. 13. 1. Joh. 3. v. 14. & c. Sed non sufficit probare, quòd in aliis Scripturæ locis particula *ἃ* ita usurpetur, verum probandum est insuper, quòd in hoc ipso loco sic accipienda sit, & quòd is sit verborum Christi genuinus ac proprius sensus, quem modò exposuimus. Illud verò probamus 1. *ex rebus connexionibus*. Causam salutis efficientem, Christus jam antè exposuerat, videlicet gratuitam Patris cœlestis misericordiam, qui in Christo nos ad vitam æternam elegit, & in filios nos adoptavit. Ergo in his verbis non profert aliam salutis causam, sed illius electionis *ἃ* *θεοῦ* & veræ fidei indubitata *τεκμήρια*, ac proinde non exprimit meritum sive causam, propter quam electis detur regnum cœlestis, sed qualitatem & conditionem eorum, qui vitam æternam consequentur. Excipit Brugensis, *Christum in vers. superiore docuisse causam beatitudinis electorum ex parte Dei esse benedictionem & electionem*: in hoc autem versu docere causam ejus ex parte electorum esse bona ipsorum opera, quia retribuet Deus unicuique secundum opera Matth. 16. vers. 27 illam insinuasit potius quam aperte dixisset, quia in Deo abscondita est & à Deo pendet, hanc verò declarasse, ut ad eam in voluntate nostra sitam nos excitaret. Resp. Scriptura inter causas justificationis & salutis nupiam recenset bona opera, sed causam principalem justificationis & salutis docet esse gratiam Dei; causam meritoriam Christi obediētiæ & satisfactionem; causam instrumentalem ex parte nostra veram in Christum fidem. Neque est relatio inter gratiam Dei justificantem & salvantem in verbo Evangelii oblatam, & inter opera nostra; sed inter gratiam Dei & fidem, inter meritum Christi, & fidem beneficia illa amplectentem. Atque ex hoc fundamento oriuntur oppositiones illæ Apostolicæ, quod justificemur ex Evangelio, & non ex lege; ex gratia, & non ex operibus; ex fide, & non ex operibus Rom. 3. v. 28. Galat. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 9. & c. In ipsis salvandis non est oppositio inter fidem & opera, vel inter gratiam & opera, quia opera sunt effectus gratiæ & fidei, sed in causis justificationis & salutis est oppositio inter gratiam Dei & merita nostra; inter Christi meritum & nostra merita; inter fidem & opera Rom. 11. v. 6. ac vita æterna non dicitur stipendium nostrorum operum, sed *χάρις ἢ ἡ χάρις* gratium Dei donum Rom. 6. v. 23. Neque potest contrarium demonstrari ex illis dictis, quæ testantur, *Deum retribuere cuique secundum opera*, aliud enim est *retribuere* cuique secundum opera, aliud verò propter opera retribuere. Illud respicit operum testimonium, hoc verò operum meritum, quâ de re suo loco pluribus egimus. 2. *ex ipsa beatorum confessione*. Quando enim beati audiunt, *venite benedicti, esurivi enim & dedistis mihi cibum*, tunc statim subjiciunt: *Domine quando te vidimus esurientem & pavimus te &c.* Fatentur igitur, se ex simplicitate cordis & filiali obediētia, non autem intuitu mercedis, bona opera præsti-

præstitisse, agnoscunt, bona opera sua non esse tantâ remuneratione digna, ac proinde immensam præmiantis largitatem mirantur. At si in hac vita credidissent, opera sua esse meritoria vitæ æternæ ex condigno, ac sine & intentione regnum cœlestis promerendi ea fecissent, nequaquam illam admirationem prorumperent, quando enim finis respondet intentioni, illud non contingit præter expectationem. 3. ex operum bonorum qualitate & conditione. Bonis renatorum operibus non competit illa dignitas, quod sint causa salutis meritoria, quia sunt jam antè Deo debita, & quidem multis nominibus; nullum Deo afferunt utilitatem nullam obtinent proportionem æqualitatis ad vitam æternam, quæ est bonum infinitum, quinimò sunt imperfecta & immunda, quomodo ergo possent esse vitæ æternæ ex condigno meritoria? Excipit Brugenis, quatuor esse causas meriti in nostris operibus, *promissionem Dei, Spiritus S. inhabitationem, hominis iustitiam & finem, propter quem & cui facimus bona opera, qui est ipse Deus.* At nullum horum efficit meritum; non promissio, quia illa est merè gratuita, non Spiritus S. inhabitatio, quia propter illam nos Deo potiùs obfringimur, quod per Spiritum S. bona in nobis & per nos operetur, quam ut propter illam Deus nobis ad mercedem meriti reddendam obligetur, non hominis iustitia, quia est imperfecta & peccatorum fordibus adhuc inquinata, cum renovationem de die in diem crescere oporteat. 2. Cor. 4. v. 6. *neque finis*, quia illud non semper vel certè non purè in operibus intendimus, ac in quibus finem illum intendimus, illa non statim ob hanc unam circumstantiam redduntur meritoria, sed plura omninò ad meritum requiruntur, quæ suo loco sunt enumerata. 4. ex visibili iudicii administratione. Quia iudicium illud visibiliter in universa omnium Angelorum & hominum præsentia instituitur, idè iustus iudex, ne ex quadam ægropolytia & absoluto quodam favore agere videatur, opera piorum producat tanquam indubitatos veræ fidei testes interiorum cordis iustitiam exteriorum demonstrantes. Fides est interna cordis in Christum fiducia, quæ non potest corporeo aliquo sensu deprehendi, ac multi de fide gloriantur, qui ejus efficaciam nunquam senserunt, idè Christus producit externa indubitata veræ fidei testimonia *κρηματα*, effecta. Excipit Bellarm. lib. 4. de iustif. cap. 7. *Christum hoc loco ne verbo quidem fidei meminisse.* Resp. Quamvis ob causam modo expositam, videl. quod visibilis iudicii processus juxta externa opera, interioris & in corde latentis fidei testimonia, instituendus sit, Christus hic non faciat *explicitam* fidei mentionem, *implicitè* tamen illius mentionem fieri ipsa sententiæ formula ostendit. Benedictio enim & gratia Dei non nisi per fidem nobis obtingit, electio facta est in fide possessio regni cœlestis non nisi credentibus promissa &c. quinimò hæc ipsa sententiæ ratio implicitam fidei mentionem includit, quia opera, quantumcunq; & qualiacunq; sint, non possunt Deo placere, absq; fide. 5. ex aliorum Scripturæ locorū collatione. Quando Scriptura caritatem & opera caritas nobis commendat, non commendat eam ut causam vel ut meritum salutis, sed ut effectum individuum ac testimonium indubitatum veræ fidei. Joh. 13. v. 35. *In hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli sitis si dilectio-*

*nem habueritis invicem.* Galat. 5. v. 6. *fides per caritatem est efficax.* Jac. 2. v. 15. *Si frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano.* v. 16. *dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace calefacimini &c. non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* v. 18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* 1. Joh. 3. v. 14. *Scimus, quod translati simus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Cum primis verò cum hisce Christi verbis conferimus locum Apostolicum 2. Tim. 1. v. 16. *Dei misericordiam Dominus Onesiphori domini sive familiae, quia sepe me refocillavit (esurienti dedit cibum, sitienti potum &c.) & de catena mea non erubuit (in carcere eram & ad me venit.)* v. 18. *det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illa die.* Ergo etiam illis, qui opera caritatis Christi membris exhibuerunt, misericordiâ opus erit in die iudicii. Si autem ex gratia & misericordia recipient præmia, ergo non propter operum suorum merita. *Meritum enim ex condigno sive ex iustitia opponitur gratiæ*, teste Bellarmino lib. 2. de pœnit. cap. 12. circa finem. *Querant ergo alii meritum, vos (cum Onesiphoro & omnibus electis) invenire gratiam studeamus*, ait Bernhardus serm. de nativ. Mariæ hol. 213. 6. *ex necessaria collectione. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuerò, nihil mihi prodest*, inquit Apostolus 1. Cor. 13. v. 3. Ergo quando Christus hoc in loco commendat esurientem cibationem; sitientium potationem &c. in externis illis operibus simul intelligit ac præsupponit caritatem, quod ne ipsi quidem Pontificii negant, quia opera absque caritate facta negant esse vitæ æternæ ex condigno meritoria. Ulteriùs, in caritate intelligit fidem, quippe cujus fructus est caritas & absque qua caritas non placet Deo, ut testantur exempla saniorum gentilium, qui ex caritate esurientes cibârunt, sitientes potârunt &c. & tamen ipsorum opera non adducuntur in iudicio tanquam Deo grata, multò minus tanquam vitæ æternæ meritoria. Ne hoc quidem negare poterunt Pontificii, nisi velint negare manifesta dicta Apostolica Rom. 14. vers. ult. *Quicquid non sit ex fide, peccatum est.* Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est Deo placere.* Sic ergo progredimur. Opera misericordiæ externa adducuntur tanquam indicia & effecta veræ caritatis in corde latentis. Caritas adducitur tanquam indicium & effectus veræ fidei, absque qua Deo non probatur. Ergo etiam opera misericordiæ externa adducuntur tanquam indicia & effecta verè fidei. Quod autem non sint adducenda tanquam causa salutis, probo hac ratiocinatione. Vera causa salutis est immediata, adæquata & omnibus salvandis communis causa. Bona opera externa non sunt immediata, adæquata & omnibus salvandis communis causa. Ergo non sunt vera salutis causa & per consequens non possunt adduci tanquam salutis causa. Major est manifestæ veritatis, quia unus modus, una forma est justificationis & salvationis in omnibus iustificandis & salvandis, ut patet ex dictis Marc. 10. v. 15. Luc. 18. v. 17. Act. 15. v. 11. Rom. 4. v. 3. Heb. 13. v. 8. &c. ac, si unicum diversum daretur exemplum, non potuisset Apostolus ex modo, quo Abraham iustificatus & salvatus est generaliter demonstrare modum justificationis & salvationis: *Una fides, unus Christus* & una



*Et una salus.* Minorem probo ex propria Pontificiorum confessione & quidem duplici. Nam primò produco infantes baptizatos, qui statim post perceptum Baptismum moriuntur, illos concedunt solis Christi meritis (addimus nos, fide imputatis, quia beneficia Christi nemini profunt absque fide) salvari. Bellarm. lib. 6. de justif. cap. 3. Ubi ergo ejusmodi infantes in die judicii sistentur. Salmeron tract. 41. ridiculè respondet, *infantes non baptizatos nec à dextris nec à sinistris futuros, sed retrò Christum, cum non possit illis exprobari, quod opera misericordiam non fecerint, nec rursus laudari, quod fecerint, cum etate ad utrumque præstandum destituti fuerint.* At hæc ratio etiam baptizatis infantibus competit. Num & illos retrò Christum collocabunt? nugã. Christus hoc loco docet, omnes salvandos fore à dextris, omnes damnandos à sinistris judicis. Maldonatus igitur respondet, *infantes non baptizatos ad sinistram futuros, baptizatos verò ad dextram.* At quo modo infantibus statim à Baptismo decedentibus competit, quod per bona opera misericordiam externam salutem promeruerint? respondet, *merita cujusque ibi ponderanda, quæ non semper in operibus, sed in solo aliquando animo, in sola gratia, in sola origine consistunt.* Quæ verò illa gratia & illa origo? certe nulla alia, quam vera in Christum fides ac gratia regenerationis per quam absque operibus externis infantes salvantur, non propriis suis, sed alienis Christi meritis. Ergo opera externa non sunt immediata, propria & adæquata salutis causa. Secundò produco eos, qui verè regenerati & Deo reconciliati prius ex hac vita discedunt, antequam externa misericordiam opera proferant. Illos itidem solâ fide sine externis operibus salvari concedunt Bellarm. lib. 1. de justif. cap. 35. *Origenes opponit fidem operi externo ac docet, posse hominem interdum justificari, etiam si nullum opus externum faciat. Ponit enim exemplum peccatricis & latronis, qui non leguntur jejunasse aut elemosinas fecisse, antequam justificarentur.* Itaque per vocabulum sola excludit Origenes necessitatem operis externi, quando videlicet aut potestas aut occasio deest ejusmodi operis faciendi. Et postea: *Chrysostronus docet, fidem solam, h. e. sine opere externo interdum sufficere, opus externum sine fide nunquam sufficere.* Et rationem reddit, *quia fides parit opera, opera non pariunt fidem.* Quod si ergo etiam illi salvandi, & à dextris judicis collocandi, qui fidem habent absque opere externo utique opera externa non possunt à judice adduci tanquam causæ salutis, remotâ enim causâ propriâ & adæquatâ tollitur effectus, sed adducuntur tanquam externa testimonia interioris fidei per caritatem efficacis, in illis scilicet, quibus nec honestas nec occasio defuit ejusmodi operum faciendorum, reliquis hæc occasione destitutis sufficit fides vera in Christum, quæ proinde est adæquata, propria & immediata salutis causa. 7. ex adversariorum quorundam confessione Salmeron tom. 1. p. 327. *Particula quia, quoniam, enim sunt conjunctiones causam reddentes, vel à priori, ut frequenter faciunt, vel à posteriori, juxta illud dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, ubi probat remissionem peccatorum factam ab effectu dilectionis magnæ.* Maldonatus in cap. 8. Johan. *Hæc vocabula quia & quoniam non causam*

*aliquando significare, innumera vel in solis Psalmis exempla sunt.* Unde sic colligimus, Si in quibusdam Scriptura dictis particula *quia* rationem à posteriore sive ab effectu notant, non autem à priore sive à causa, consequens erit, non possent debere sic concludi. Hoc loco ponitur particula *quia*. Ergo denotatur salutis causa. Potest enim denotare rationem sententiæ ab effectis, h. e. externis fidei indicis deductam, ut ex immotis argumentis demonstratum est hactenus, & agnoscit Johan. Ferus in comm. h. l. sic scribens: *Verè secundum fidem Christus judicabit, Marc. 16. vers. 16. Johan. 3. vers. 36. Quia autem opera caritatis sunt indicia fidei, ideo etiam secundum opera judicaturus est.* Opponitur autem huic expositioni nostræ argumentum palmarium, uti quidem adversariis videtur. *Particula quia in parte sententiæ posteriori contra impios pronunciata est causalis, utpote causam damnationis meritoriam exprimens, cum mala opera sint damnationis merita.* Etiam in hoc primo membro causalis erit. Possemus respondere, esse disparem rationem bonorum ac malorum operum. Mala opera perfectè talia sunt, & ex se damnationem merentur, sed bona opera piorum sunt imperfecta, multis infirmitatibus commixta, sunt Deo jam ante debita &c. Proinde ex se & in se viam æternam promereri nequaquam possunt, unde Apostolus *peccati stipendium* dicit esse mortem æternam, sed *viam æternam* non eicit bonorum operum stipendium, sed *gratia quæ gratuita Dei donum in Christo Jesu Rom. 6. v. 23.* Possemus etiam respondere, disparem esse rationem salvationis & damnationis. Justificatio & salus non est ex nobis & nostris operibus, sed ex Dei gratia in Evangelio oblata, & per Christum nobis promerita, sed damnatio est ex nobis & nostris operibus, adeoque ex maledictione legis, quam vibrat adversus omnes, qui non sunt in Christo. Sed simpliciter respondemus, particulam *quia* etiam in posteriore membro esse ratiocinativam ac *quia* Christum enim ubique causam propriam, immediatam & adæquatam damnationis constituit incredulitatem Marc. 16. v. 16. Johan. 3. v. 18. & 36. c. 16. v. 9. &c. Cum verò incredulitas illa (itidem ut ei opposita vera fides) in corde lateat, ideo producuntur opera mala, cum primis immiseri cordiam erga proximum, tanquam exterior & proprius fructus incredulitatis in corde latentis 1. Joh. 3. v. 14. Causa condemnationis *ratione meriti* est quodvis peccatum contra legem divinam commissum Deut. 27. v. 27. Gal. 3. v. 10. quia omnia sunt æternam mortem digna, sed non *ratione executionis*, alias omnes essent damnandi, cum omnes sint peccatores. Causa igitur condemnationis propria, adæquata, & immediata est sola incredulitas, quatenus damnatio, in se & formaliter consideratur, interim *materialiter* & ratione diversorum graduum spectatæ condemnationis causa est peccatorum gravitas. Certum igitur & immotum esto, Christum opera misericordiam in ratione latæ sententiæ adducere non tanquam merita vel causas salutis (inter quæ duo inscitè hic distinguit Piscator, negans bona opera esse salutis merita, interim concedens ea esse salutis causas, cum bona opera, si causæ sunt, etiam merita esse necesse sit) sed tanquam externa *τεκμήρια & γινώσκοντα* tum electionis tum

vera

vera fidei in corde latentis, & ut Bernhardus loquitur in tract. de grat. & lib. arbit. col. 1069. tanquam spei quaedam seminaria, caritatis incentiva, occulte & praedestinationis indicia, futurae felicitatis praesagia, viam regni, non causam regnandi. Esurivi, inquit, videlicet in meis membris; in Lazaro Luc. 16. v. 21. & dedistis mihi edere, h. e. cibum, quo famem solari potui, esurienti panem fregistis Esa. 58. v. 7. Ezech. 18. v. 7. verbum enim infinitivi temporis hoc loco & insequentibus ponitur pro nomine, unde Syrus reddidit: *Dedistis mihi* *אכלתי* ad comedendum, *שתיתי*, & *dedistis mihi bibere*. Syrus per verbum *אכלתי* in Hiphil positum reddidit, & *potastis me*. Si non alia ratione, tamen potu aquae frigidae Matt. 10. v. 2. cuius beneficentiae merces non peribit vobis. *Hospes eram*, h. e. propter confessionem veritatis in exilio oberravi sine domicilio in terra aliena, in meis scilicet membris, in Christianis Hierosolymitanis per regiones Judaeae & Samariae dispersis Actor. 8. v. 1. *כי סוּחַרְרַתֵּי מֵי וְכֹלְגִיתִּי מֵי*, h. e. recepistis me in vestras aedes, accepistis ad vos, passi fuistis me sub tectum vestrum ingredi ac me cibastis, *סוּחַרְרַתֵּי מֵי* enim est nomen congregationis in convivio, *אכלתי* vestrum mihi viatori & exuli aperuistis Job. 31. v. 32. me afflictum & vagum in domum vestram induxistis, Esa. 58. v. 7. & *hospitalitatis non estis oblitri*. Hebr. 13. v. 3. *Nudus enim* (non ita bene vestitus. Job. 22. v. 6. Jac. 2. vers. 15.) & *aperuistis me* *אכלתי* me circumjecistis mihi vestem, *יְהִי הַבֵּי מִיִּר עֵין כְּלֵיד יִגְוֵרְוֹסְסֵן וְדֵר אִמְבֵּגְוֹרְסֵן* / cum me in membris meis videretis nudum, *aperuistis me* & *carnem vestram non despexistis* Esa. 58. v. 7. Ezech. 18. v. 7. *habentes duas tunicas dedistis mihi unam*. Luc. 3. v. 11. *Infirmus enim*, *אִמְבֵּגְוֹרְסֵן*, invalidus fui, h. e. aegrotavi, quia ex morbo virium dejectio oritur, *Infirmus fui*, in Lazaro Luc. 16. v. 20. in Epaphrodito Philip. 2. v. 27. & aliis meis membris, & *visitastis me*, vestris facultatibus vel operâ vel consilio vel certè alloquio & consolatione vestra me refecistis, non piguit vos me in membris meis infirmum visitare, ex quo in dilectione firmati estis Syrac. 7. v. 39. Syrus habet verbum *אִמְבֵּגְוֹרְסֵן* *visitavit*, *curavit*, ex quo descendit *אִמְבֵּגְוֹרְסֵן* *visitator*, *curator*, *Episcopus*. *In carcere fui*, in membris scilicet meis, in Petro Actor. 12. vers. 4. in Paulo 2. Corinth. 11. vers. 23. in reliquis Apostolis Act. 4. v. 3. cap. 5. v. 18. in aliis fidelibus Act. 8. v. 3. &c. Syrus reddidit, *fui in domo vincitorum*, & *venistis ad me*, ut me vel liberaretis ex ergastulo Prov. 24. vers. 11. vel subsidiis vestris juvaretis Philip. 4. v. 14. vel alloquio & consolatione me reficeretis. Haec sunt externa illa caritatis & misericordiae opera, quae Christus in iudicio praedicabit & tanquam indubitata fidei testimonia allegabit, numero senario inclusa, non quod non sint alia & plura, quia Tob. 12. v. 12. additur sepultura mortuorum Jacob. 1. vers. 27. visitatio pupillorum & viduarum ac manifestum est, quod ignorantes informare, moestos consolari, iniuste oppressis succurrere, simplices consilio juvare, peccantes corrigere, injurias proximi ferre, delinquenti ignoscere, pro salute proximi orare &c. aequè sint caritatis & misericordiae opera, atque ea, quae hic in specie enumerantur. Agnoscenda igitur hoc in loco synecdoche Scripturis usitata, quae ex una vel pluribus spe-

ciebus disertè expressis totum genus intelligitur, ac reliqua caritatis officia ad enumeratas hasce species sunt revocanda. Idem iudicium esto de vulgari illa sententia, quod sint septem opera misericordiae corporalis comprehensa hoc versiculo:

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,*

quorum sufficientiam Lyranus hoc modo probare utitur. Homo in vita praesenti indiget primò ex parte corporis alimento, sine quo non potest esse, & hoc alimentum duplex est, Unum est calidum & siccum, quod vocatur cibus, & sic unum opus misericordiae est pascere esurientem; alterum est frigidum & humidum, quod vocatur potus, & sic secundum opus misericordiae est potare sitientem. Secundo indiget aliquo, sine quo non potest bene esse videlicet indumento & domicilio, in quo possit requiescere, & sic est duplex opus misericordiae videlicet vestire nudum, & recipere hospitium. Tertio indiget post vitam istam sepulturâ & ponitur quintum opus misericordiae scilicet sepelire mortuum. Ista autem quinq; praedicta sunt omnibus communia. Alia sunt duo opera misericordiae, quae impenduntur alicui ex accidente aliquo superveniente, ut si aliquis incurrat infirmitatem vel capiatur ab hostibus, & sic accipiuntur duo opera, quae sunt visitare infirmum & redimere captivum. Item quod sint septem opera misericordiae spiritualis comprehensa hoc versiculo:

*Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora,*

ubi tamen subintelligenda doctrina & informatio, quae primum inter illa locum obtinet, nec tamen disertis verbis in illo versiculo exprimitur. Res ipsa igitur ostendit, septenarium illum misericordiae tum corporalis tum spiritualis operum numerum sic accipiendum esse, non quod non sint plura, sed quod reliqua ad ea reduci possint. Abulensis rationem invenire voluit, quare Christus in recensendis corporalis misericordiae operibus sepulturam praetermittat, nimirum quia nomine suo loquebatur & haec locutio, mortuus fui, & sepelivisti me, non congruebat sic loquenti. Verum sic congruebat illa, quemadmodum reliquae. Christus enim non loquitur de officiis in propria persona sibi praestitis, sed de operibus, quae praestantur pauperibus & egenis mystici corporis Christi membris. Dionys. Carthusianus aliam rationem affert, quia scilicet *sepultura inter opera misericordiae sit minus necessaria*. Sed rectius dicitur, & sepulturae officium & reliqua misericordiae tum corporalis tum spiritualis opera synecdochicè in his speciebus includi. Illud verò utilius quaritur, cur praetermissis operibus aliis sola misericordiae & quidem corporalis opera Christus recensat? Certum est, etiam reliqua opera justitiae, temperantiae, religionis & cultus esse fidei effecta & testimonia, ac proinde etiam eorum in iudicio faciendam mentionem, nam in parabola praecedente commendatur fidelitas servorum, qui ex talentis sibi traditis plurimum lucrati fuerant, & Matt. 10. v. 32. Marc. 8. v. 38. Christus disertè testatur, quod eum, qui ipsum in hac vita confessus fue-

Gggg rit

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda.

rit coram hominibus, confiteri & ipse velit in die iudicii coram Patre caelesti. Sed & Paulus Phil. 3. v. 16. dicit, sanctam eorum, quos ad Christum convertit, conversationem fore sibi eis *εὐχρητα* in diem Christi, quod non in vanum cucurrerit, neque in vacuum laboraverit. Ecce igitur sola misericordiae opera Christus hoc loco recenset? Barradius respondet ex quibusdam dictis veterum, hoc loco describi duntaxat formam, qua iudicandi sint, qui in Ecclesia cœtu locum habuerunt, non autem infideles extra Ecclesiam. Illis enim, qui fide caruerunt, ignotus est Christus, ergo non dicit illis Dominus: Esurivi, & non dedistis mihi cibum. Quo enim modo possunt cibum dare Christo, h. e. pauperibus propter Christum, si Christum non agnoscunt? ad infideles ergo non fiet à Christo sermo, sed illi in die isto critico suam secum deferent condemnationem, eamque è conspecto signo filii hominis in calo apparente è vestigio agnoscent & c. Eadem habet Jansenius in h. l. Atqui non solum Ethnici & infideles, sed etiam hypocritæ in Ecclesia suam statim agnoscunt damnationem ex ipso iudicis conspectu. Utenim piorum opera bona, sic hypocritarum & impiorum mala opera tunc versabuntur in publica luce & erunt omnibus manifesta, quin & sui cuique conscientia vel damnationis vel salvationis sententiam manifestabit. August. lib. 20. de civ. Dei cap. 14. *Elet in die iudicii virtute divinâ, ut cuique opera sua vel mala cuncta in memoriam revocentur & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam.* Præterea omnes salvandi resurgent cum corpore glorificato & iudicem aspicient summa cum lætitia, omnes verò damnandi, sive fuerint in externo Ecclesiae cœtu sive extra Ecclesiam, resurgent cum corpore passibili & iudicem videbunt summâ cum trepidatione sui; cum ignominia. Adde quod in numero infidelium sive incredulorum non solum censendi sint Ethnici extra Ecclesiam, sed etiam hypocritæ & impii in Ecclesia, utpote verâ & salvifica fide per caritatem efficaciæ destituti. Quotquot enim damnabuntur, illi propter incredulitatem tanquam immediatam, propriam & adæquatam damnationis causam à salute excludentur, ut superius ostendimus. Ac si vel maxime statuatur, Christum hoc loco processum iudicii describere respectu eorum, qui sunt in Ecclesia, ut illos ad studium bonorum operum magis excitaret (id quod non improbamus, quidem ad nos, quomodo iudicandi sint, qui sunt foris extra Ecclesiam? 1. Corinth. 5. v. 12. & 13.) tamen adhuc dubium, cum plura sint bonorum operum genera in Scripturis nobis commendata, cur misericordiae opera duntaxat Christus recenset? Augustinus serm. 70. de temp. respondet, ideo misericordiae opera commendari, quod peccata illis potuerint expiari. *Scriptum est, inquit: Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum.* Item scriptum est, *include elemosinam in corde pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Dominum.* Item scriptum est, *peccata tua elemosinis redime.* Et alia multa sunt divini eloquii documenta, quibus ostenditur, multum valere elemosinam ad extinguenda & delenda peccata. Proinde illis, quos coronaturus est, solas elemosinas imputabit, tanquam dicens: *Difficile est, ut sexaginem vos & appendam vos & seruter diligentissime facta vestra, non inveniam, unde vos dam-*

*nem, sed ite in regnum, esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia peccata vestra elemosinis redemistis & c. Similia occurrunt serm. 33. de divers. Sed multis argumentis probari potest, sermones illos non esse Augustini, qui lib. 21. de civit. Dei cap. 27. modestius hac de re disserit, ac commodè interpretanda est illa sententia, ne pugnet cum fidei analogia, quæ testatur, in solo Christi merito satisfactionem pro peccatis, eorumque coram Dei iudicio expiationem unice quærendam esse, ut alibi plenius docetur. Alia igitur quærendæ sunt rationes huius rei, 1. Euthymius in h. l. statuit, significari operum horum necessitatem. De sola, inquit, caritate iudex differit, non quod cætera vel iustorum bona opera vel peccatorum delicta sine examinatione vel discussione relinquenda sint, sed confirmare volens quod caritatem Deus maxime requirit, & hanc præ omnibus expetit, utpote Christianis maxime necessariam, cujusque enim Christiani insigne, quo dignosci possit, est dilectio, huius autem optima pars est pauperum amor & erga proximum compassio ac misericordia, quia juxta Gregorium Theologum nulla re inter omnes ita colitur Deus ut misericordia, neque alii cuiquam magis rependetur humanitas quam humanitati. Porro necessitas horum operum consideranda non solum ratione subiecti, quod fides & caritas, de qua hæc opera testantur, in omnibus piis requirantur, sed etiam ratione objecti, quod pauperes & egeni huius vitæ subsidii vel maxime indigeant. 2. Innuat Christus operum horum communitatem, quod illa sint omnibus verè piis communia. Ut Martyres simus, paucorum est, ut simus doctores & columna Ecclesiae, itidem est paucorum, sed haustum aquæ frigida sitienti dare nemo non potest. In præcedente parabola docuerat Christus rationem in iudicio exigendam esse de usu talentorum, h. e. donorum divinitus concessorum, quæ parabolâ præcipue Apostolos & eorum in officio docendi successores, adeoque quovis prærogativâ divinorum charismatum donatos vel in eminentiâ potestatis ac honoris constitutos sui admonere voluit officii. (Dicimus præcipue, quia nullus hominum est, qui non aliquid à Deo si non talentum, tamen drachmulam acceperit, quæ lucrari, h. e. proximo prodesse & gloriæ Dei inservire possit ac debeat, proinde secundario & extensive ad omnes homines parabola illa pertinet.) Huic parabolæ subjicit præsentem pericopen, in qua docet, exigendam esse in iudicio rationem de operibus misericordiae vel præstatis vel neglectis, omnes in universum Christianos præcipue sui admonere, cupiens officii, à quibus non tam talentorum, quæ misericordiae erga pauperes rationem exigendam esse significat, omnem tergiversandi occasionem eiusdem hac ratione subtrahens. Quod enim non præcipue & in primis propter Apostolos & eorum in docendi officio & divinorum charismatum participatione consortes, sed propter auditores, qui per illorum prædicationem credituri erant, istæ hæc dicta sint, apparet ex ipso verborum sono, vers. 40. & 45. *Quicquid fecistis vel non fecistis mihi de his minimis & c.* ubi *ὅτι τὸν ἐστὶν* est valde emphaticum, digitum enim intendit in Apostolos & eorum in penuria consortes, qui in hoc mundo aliorum beneficentiâ vel maxime indiguerunt. Interim

Interim ut proximè præcedentem parabolam secundario & extensive ad omnes referri posse diximus, ita quoque hoc loco sub operibus misericordiarum corporalibus quævis opera dilectionis ac proinde etiam opera misericordiarum spiritualium, adeoque omnia verè fidei effecta & indicia extensivè intelligi possunt. Scopus enim Christi est docere, quod iudicium instituendum sit secundum opera tanquam externa & visibilia fidei, interius latentis testimonia. Ea igitur opera commemorat, quæ ex dilectione individua fidei comite oriuntur Gal. 5. v. 6. quæ vel maximè ad sustentationem vitæ indigenti proximo necessaria sunt, à quibus nemo se facillè excusare potest, & ad quæ reliquæ bonorum operum species commodè reduci possunt. Qui captivos propter Christum visitat, non erubescit Christum confiteri; qui avaritiam ac tenacitatem omnibus post lapsum naturaliter insitam fide vincit, is eadem fide etiam reliquas pravas carnis concupiscentias, imò etiam Satanam & mundum vincit. Joh. 5. v. 4. & c. 3. Commendat etiam nobis operum horum dignitatem, ut ostendit pronomen emphaticum toties repetitum *me cibastis, me potastis, me vestivistis*. Quævis opera dignitatem suam accipiunt rùm ex alius circumstantiis, tum vel maximè ex objecto. Tale videtur opus non quale datum est, sed qualis persona illius, qui accepit, ait Autor imperf. operis in h. l. Quia ergo sibi ipsi Regi, Salvatori & capiti nostro ea præstita esse Christus asserit, quæ pauperibus in se credentibus sunt præstita, eo ipso hæc opera tanquam proprios & indubitatos effectus caritatis nobis maximopere commendare, & ad ea indigentibus præstanda nos provocare voluit. Rabini dicunt, esse *מכירת הברית* proprietates Dei vestire nudos, visitare agros, solari lugentes, sepelire mortuos, unde ambulare post Deum dicitur, qui talia facit. Congruit hoc cum dicto Nazianzeni in orat. de pauperum amore: *Fac calamitose sis Deus, misericordiam Dei imitando, nihil enim tam divinum homo habet, quam alii benefacere.* Ambros. lib. 1. de offic. cap. 11. *Nihil tam commendat animam Christianam, quam misericordia.* 4. Exaggerat præmiorum cælestium ubertatem. Quod si namque remuneratione non carebunt, qui pauperes ex his superfluis cibabunt, quanto majorem remunerationem accipient, qui tempore persecutionis propter Christum omnia reliquerunt? Si gratuitam accipiet mercedem, qui transitorio cibo esurientium viscera refocillavit, quanto minus defraudabitur mercede, qui esurientes animæ cibum pane verbi cælestis refecit? *plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terrenopane satiare*, inquit Gregorius. Si à iudice laudem consequetur, qui sitientes aquæ frigidæ hauritu potavit, quanto magis laudabitur, qui animam tribulationibus lassam ac sitientem potu consolationis refrigeravit? Si merces gratiæ illis obtinget, qui nudum amictu corporeo vestiverunt, quanto major erit eorum merces, qui per Evangelii prædicationem veste justitiæ ac virtutum spiritualiter nudos ornare studuit? Si in publico Angelorum & hominum conspectu laudabitur, qui infirmos vel incarceratos visitavit, quanto magis laudabitur, qui spiritualiter agrotantem, h. e. in hæresin vel peccata prolapsam sanare ac Diaboli mancipium ex spirituali captivitate liberare voluit?

Harm. Tom. II, vel Gerbard. Cont. pars secunda.

luit? Jac. 5. v. 19. & 20. 5. Perstringit instam nobis tenacitatem. Propter corruptionem Naturæ per lapsum introductam & nimia tenacitate & immodico timore inopiæ abhorremus ab his misericordiarum operibus, cum tamen proximo ea sint maximè necessaria, cumque ipsa humanitas unumquemvis ad ea impellere debeat, denique cum à quolibet ferè præstari possint. Christus igitur morbi huius nostri probè conscius largissima præmia beneficiarum promissa nobis inculcat, ut eorum consideratione tenacitatem & fastum carni nostræ naturaliter insitam, propter quem à pauperum cibatione & agrorum visitatione abhorremus, deprimamus. 6. taxat hypocritarum perversitatem. Illi negligunt opera misericordiarum, quarunt cultus electitios, quibus Deum cupiunt sibi demereri, sed ut Christus Matth. 9. vers. 13. dicit, *Euntes discite, quid sit, misericordiam volo & non sacrificium*: ita quoque hoc in loco ad opera caritatis & misericordiarum nos remittit, eademque sibi longè gratiora esse testatur, quam cultus electitios vel etiam ceremonias. Sic cum superstitioni Judæi dicerent. Mich. 6. v. 6. *Quomodo præveniam Dominum?* v. 7. *nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato anime mee?* Respondet Propheta v. 8. *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utique, facere iudicium, diligere misericordiam & humiliter ambulare cum DEO tuo.* Nimirum ut re ipsa probat se verè Deum diligere, qui ex dilectione proximo hæc officia propter Deum præstat? ita frustra de dilectione & cultu Dei gloriatur, qui hæc opera caritatis & misericordiarum negligit. 1. Johann. 3. vers. 17. *Qui habuerit substantiam huius mundi & viderit fratrem suum egere & clauserit viscera sua coram eo, quomodo caritas Dei manet in ipso!* cap. 4. vers. 20. *Qui non diligit fratrem, quem videt, quomodo diligere potest Deum, quem non videt?* solatur Apostolorum pauperitatem. Constat ex antecedentibus Christum hanc concionem de processu extremi iudicii solis Apostolis in monte oliveti proposuisse. Illis tacite prædicat, quod in hac vita futuri sint esurientes, sitientes, nudi, exules, incarcerati &c. sicut hic status Apostolorum describitur 1. Corinth. 4. vers. 11. *Usque in hanc horam esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur & instabiles sumus (non habemus fixam sedem)* 2. Corinth. 11. vers. 23. *in laboribus, in carceribus, in plagis, in mortibus, vers. 27. in fame & siti & nuditate &c.* hanc ipsorum sortem Christus solatur, ac duos consolationis fontes ipsis proponit. Primò quod ipsemet in illis esuriat ac siciat, hoc est, quod passionibus ipsorum velit reputare ut suas, sicut etiam postea in gloria constitutus Saulo Ecclesiam persequenti dicit Act. 9. v. 4. *Saul, quid me persequeris?* Secundò quod semper aliquos excitare velit, qui ipsos esurientes pascant, nudos vestiant, exules in domum recipiant. 8. Dionysius Carthusianus dicit, Christum propterea opera misericordiarum in die iudicii commendanda esse prædicere, *ut insinuet, quod universa salus nostra & gratia, & quicquid in nobis boni est, ex misericordia Dei procedat, dependeat, perficiatur.* 9. Denique sicut alibi, ita etiam hoc loco veterum Hebræorum sententias Christum imitatur. In paraphrasi Chaldaica Coheleth cap. 9. v. 7. sic legitur: *Dixit Salomon*

Gggg 2 per

per Spiritum Propheticum, qui ei à Domino. Futurum est, ut Dominus mundi dicat omnibus iustis ante se constitutis. Vade, gusta cum gaudio panem tuum, ut statutum est pro pane, quem dedisti pauperibus & obscuris, qui esuriebant: & bibe corde bono vinum, quod repositum est tibi in horto Eden, hoc est, in Paradiso pro vino, quod miscuisti pauperibus & obscuris, qui sitiebant, quia dudum accepta fuerunt vel etiam modò accepta sunt opera tua bona coram Domino. Huc etiam pertinet dictum R. Simeonis, Super tres res consistere mundum, super legem, religionem ac beneficentiam.

Atque hæc sunt causæ, propter quas Christus in die iudicii opera misericordiæ potissimum est prædicaturus. Num verò voce externâ hanc sententiæ suæ rationem proferet & misericordiæ opera sigillatim recensebit? Respondet Brugenſis, non esse verisimile, quod ore & verbis hæc sit prolaturus, additâ ratione, quia non erit una causa salutis omnium, sed variae singulorum, quas non verbis enumeratas, sed Domino illuminante abscondita tenebrarum unusquisque cum de se, tum de aliis certissime intelliget. Docendi ergo gratiâ id tantum à Christo fieri, non quod sententiæ ratio verbis sit declaranda, sed partim quod ab omnibus intelligenda sit non minus clarè, quam si verbis exprimeretur, partim ut nos præmoneret, quomodo promereri nobis cum in diem lenem queamus sententiam. Hæc Brugenſis, cujus assertionem in medio relinquimus, eamque vero non abſimilem cenſemus, assertionis verò rationem probare minimè possumus, neque enim ex parte nostra sunt plures causæ salutis, ut metuendum sit, ne spacium temporis nimis longum illis sigillatim respectu singulorum iudicandorum recensendis tribuendum requiratur, sed unica est immediata, propria & adæquata salutis causa, videlicet vera & perseverans in Christum fides Marc. 16. vers. 16. Johan. 3. v. 17. sicut contra est unica, immediata, propria & adæquata damnationis causa, videlicet finalis incredulitas, ac bona opera, quæ hic recensentur, non ut causæ salutis, sed ut indicia veræ fidei allegantur, ut superius latè fuit demonstratum. Videmus igitur ex hac sententiæ pro piis latè ratione. 1. Quantopere nobis commendentur opera misericordiæ, quippe quæ in die iudicii coram omnibus Angelis & hominibus à Christo dicuntur recensenda, & quæ Christus sibi ipsi præstita æstimabit. Multa sunt, quæ ad misericordiam & beneficentiam proximo exhibendam permovere nos debeant quæ Chrysoſtom. homil. 80. in Matth. ἐπιτομικῶς complectitur, videl. τὸ εὐκολὸν τῆς αἰτήσεως petitionis facilitas & dandi potestas, panis enim petitur τὸ ἐλεεινὸν τὰ αἰτῆται & petentis miseria, quia pauper est mendicus, τὸ ποθῆν τῆς ἐπαγγελίας retributionis expetenda magnitudo, regnum enim promittitur, τὸ φοβερὸν τῆς κολάσεως, terror panarum, gehemâ enim incutitur, τὸ ἀξίωμα λαμβάνοντι dignitas accipientis, Deus enim pauperum manibus accipit, τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς, honoris cumulus, quia tantum descendere dignatus est, τὸ δίκαιον τῆς ποροχῆς jus tribuendi, summa enim iustitia est de suis ei concedere. Possumus etiam ad causas beneficentiæ referre gravissimam Dei iussionem, amplissimam ejusdem promissionem, severam contra immiserordes comminationem, nostram in his terris desponsationem (quod dispensatores tantum terrestrium

bonorum à Deo constituti sumus) spirituales pauperum cognationem (quod omnes sumus fratres in regno Naturæ & gratiæ, quod sumus unius corporis mystici membra) pauperum conditionem (quod sint Christi in cælis regnantis fratres) operum misericordiæ dignationem quod Christus opera beneficentiæ pauperibus præstita sibi metipſi præstita reputabit) eorundem in die iudicii publicam prædicationem, facilem horum operum præstationem (quia inter misericordiæ opera recensentur, quæ etiam tenuissimâ fortunâ homo præstare potest.) Sed inter has omnes causas eminent eæ, quas Christus in hisce verbis nobis inculcat. Quanta gloria, inquit Chrysoſt. d. l. quod Christus coram universo mundo electos patronos & hospites suos fuisse proficitur. Uniuscujusque regnum cælestis (ita loquitur Brentius in Postill. Domin. I. Trinit.) repositum est in domum & manum proximi. Est enim solus Christus est meritum salutis nostræ, tamen postquam crediderimus, remittitur ad proximum. Pauperes ut patronos reverere, ait Bernh. de consider. mortis col. 1826. quia ipsi sunt qui te recipiunt in æterna eternacula Luc. 16. v. 9. Nemo dicat se pauperi beneficiendo ipse prestare beneficium, nam sibi ipsi plus præstat quam pauperi. Posset enim dicere pauper, plus præsto tibi accipiendo, quam tu mihi dando. Das enim, quod in tempore perit, & accipis quod æternum manet. Das que semper habere non poteris, & recipis, que in æternum possideas, ut loquitur Autor imperf. operis h. l. Cum gaudio igitur & alacritate elemosinam erogemus proximo non tanquam aliquid præbentes, sed potius ut ab eo accipientes, inquit Dionys. Carthus. lib. 2. de quat. novis. c. 7. 2. Christum non tantum generalem operum misericordiæ mentionem facere, sed etiam in specie ea recensere, ut probè nos examinemus, an in omnibus & singulis necessariis nostram erga proximum beneficentiam demonstremus, ut discamus Deum sigillatim novisse & enumerare opera nostra, modò nos ab illis oculos avertamus ut; siquidem possumus, omnes hæcæ humanitatis species impleamus sin minus, ac saltem eas, quas possumus, quam rationem reddit Euthymius in h. l. ut advertamus non futurum extra misericordiam qui vel partem horum fuit executus, quam rationem reddit Leo serm. 7. de jejuniis decimi mensis. 3. Sub operibus corporalibus misericordiæ tacite nobis commendari opera misericordiæ spiritualia. Alia elemosine (inquit Theophylactus in h. l.) sunt sensibiles, alia spirituales. Pasce Christum, qui esurit salutem nostram, sed & esurientem doctrinâ si paveris & potaveris, Christum pavisti & potavisti. In Christiano enim Christus est & fide pascitur & doctrinis crescit. Sed & si videris peregrinum à superna patria, introduc tecum & collige, hoc est, dum ingrederis in cælos, introduc & illum, ne alius prædicans ipse sis reprobus. Et si quis incorruptionis vestem abjecerit, quam per Baptismum induit & nudus sit, indue illum, & infirmum in fide, ut Paulus dicit, assume, & vinculum in carcere, hoc est, corpore illo tenebroso, invise, illi quasi splendorem admonitionum donans. Has sex species caritatis omnes imple quidem corporaliter, imple autem & spiritualiter, nam cum duplicis Naturæ sumus, ex anima & corpore, possunt & hæc bifariam perfici. Beda in h. l. Hæc secundum Historiam resonant de munificentiâ benevolentie, quâ indulgentibus corporaliter consulitur, juxta ab

in altiore verò intellectu perfectionem ostendunt caritatis, quæ esuriens & sitiens justitiam pane verbi & potu sapientie divine reficitur, & quæ errans à via veritatis per penitentiam in hospitium matris Ecclesie perducitur, & quæ infirmus in fide assumitur, & quæ in carcere angustiarum, tribulationum & tristitie postus consolationis ope subvehitur. Similia occurrunt apud

Origenem & Autorem imperf. operis in h.l. Illis potissimum benefaciendum esse, qui sunt Christi membra, in quibus Christus esurit, hoc est, qui sunt domestici fidei Galat. 6. v. 10. nec tamen perit fructus beneficii etiam in alios impensi. Quomodocumque enim foris apud homines beneficium cadat, fructus tamen illius apud Deum non perit. Nequaquam igitur scrupulose inquiramus, an sint verè pii & Christi viva membra, quibus benefacere cupimus. 5. Ecclesiam maximà ex parte esse cœtum esurientium, sitientium, nudorum, exulum &c. h. e. cœtum in hac vita præsidio & auxilio humano plerumque destitutum. 6. Interim tamen Deum aliquos excitare, qui hunc cœtum reficiant cibando, potando, vestiendo, juvando, consolando &c. 7. Duas quippe esse Christianorum classes: Una complectitur eos; in quibus Christus esurit & sitit: altera verò eos, per quos Christus esurientes & sitientes pascit. Illi egent, ut habeant materiam *patientia*; hi abundant, ut habeant materiam *beneficentia*. Illi se solentur, quod Christus sibi ipsi hanc esuriem & penuriam tribuat, hi cogitent, quod Christus sibi cibationem præstitam itatuat. Pulchrè Leo serm. 7. de quadrag. c. 3. *Christiana pietas in suum transit autorem, cum in ipsum dicamur benigni, quem in nobis fatemur operari.* 8. Christum etiam minima beneficentia opera in die iudicii prædicaturum. Non enim dicit, laudem me cibastis, splendide vestivistis, domicilium mihi donastis &c. sed simpliciter dicit, *dedistis mihi cibum & potum, in domum vestram me collegistis;* non dicit, *infirmus fui, & sanastis me;* sed *visitastis me;* non dicit, *in carcere fui, & liberastis me;* sed *visitastis me.* Nullus igitur de prætermisissis misericordiarum operibus sese excusare potest, quia etiam aquæ frigidæ potus & verbum consolatorium illis annumeratur Matth. 10. v. 42. 9. Pauperibus curæ esse debere, ut sint fratres Christi & Lazari similes, ut Christi nomine sibi donata rectè collocent &c. Sancta sunt, quæ Christo offeruntur, ergo in sanctos usus à pauperibus conferenda. 10. Christo non solum in membris esurientibus, sitientibus, egentibus, dolentibus esse condolendum, sed etiam in membris abundantibus & gaudentibus congratulandum Rom. 12. v. 15. 1. Cor. 12. v. 26. Ut à divitibus exulare debet immiser cordia, ita à pauperibus invidia. 11. Verè bona opera esse, non quæ mortuis impenduntur, sed quæ vivis præstantur; non quæ privata excogitat devotio, sed quæ requirit proximi dilectio. Christus non dicit, vigiliis & Missas pro defunctis instituitis, peregrinationes ad loca Sanctorum suscepistis, bullas Papales & indulgentias magno ære redemistis, pro peccatis vestris expiandis jejunastis, imagines exornastis &c. sed fratres meos *esurientes cibastis, sitientes potastis, nudos vestivistis &c.*

3. Ratione latæ sententiæ subjungitur *ejusdem declaratio.* Ut enim Christus occasionem haberet ulterius declarandi, quomodo electi ipsum esurientem paverint, sitientem potaverint, nudum vestiverint &c. ac consequenter opera misericordiarum magis nobis commendandi, introducit electos auditæ iudicis sententiæ & sententiæ ratione quæ erentes, *Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus? aut sitientem & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitium & collegimus? aut nudum, & cooperuimus? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?* Quos prius vocaverat oves ob fructificationem in bonis operibus & benedictos Patris sui ob electionem ad vitam æternam, illos jam vocat *justos* tum imputativè propter justitiam Christi fide ipsi imputatam, tum inchoativè propter studium pietatis & bonorum operum, inter quæ omnia est pulcherrima quædam connexio & gradatio. Quos enim Deus ab æterno præscivit in Christum Mediatorem perseveranter credituros, illos etiam prædestinavit Rom. 8. v. 29. *ac elegit eos in Christo ante facta mundi fundamenta* Ephes. 1. v. 4. *Quos autem ab æterno prædestinavit, hos & vocavit. Quos vocavit etiam justificavit, fide scilicet in Christum* Rom. 8. v. 30. *ac benedixit eis in omni benedictione spirituali in cœlestibus in CHRISTO.* Ephes. 1. v. 3. *ut sint sancti & immaculati in conspectu ipsius.* v. 4. *sectatores bonorum operum* Tit. 2. v. 14. *Quos autem justificavit, illos etiam glorificavit, tum quia in Christo capite eos jam glorificavit* Eph. 2. vers. 6. *tum quia illis certò promissit, quod in vita æterna eos glorificare velit.* Sic ergo illi, quos Christus hic loquentes & à dextris stantes introducit, sunt benedicti Patris cœlestis per *prædestinationem*, sunt iusti per *justificationem*, sunt oves per *justitiæ declarationem*, ac possident regnum cœlestis per *glorificationem.* Regnum Dei ipsis conceditur, promittitur, ostenditur, & ab ipsis percipitur. Conceditur in *prædestinatione*, promittitur in *vocatione*, ostenditur in *justificatione*, percipitur in *glorificatione.* In *prædestinatione* est *gratia*, in *vocatione* potentia, in *justificatione* letitia, in *magnificatione* gloria, ut loquitur Bernhard. in serm. de verbis libri Sapient. cap. 5. Nec absurdè cogitur, Christum etiam propterea illos prius vocare *benedictos*, quos hic vocat *justos*, ut ostendat veram justitiam à Dei benedictione unice descendere. Dicent autem iusti, *Domine, quando te vidimus esurientem? &c.* Videbunt regiam iudicis majestatem ex cessione super thronum gloriæ; animadvertent divinam ejusdem autoritatem ex omnium gentium ante ipsius thronum congregatione; audient sententiæ absolute æquitatem & benignitatem in regni cœlestis traditione; inde ex vera cordis subjectione & reverentia ipsum vocant *Dominum.* Syrus reddit *Domine noster.* Num verò verbis exteriori prolatis dicent, *Domine, quando vidimus te esurientem? &c.* Non videtur verisimile, quod ore & verbis hæc sint prolaturi, sed potius animo & corde meditari. Nam 1. ex his ipsis verbis, quæ per totam Ecclesiam singulis annis publicè præleguntur & explicantur, electi jam norunt, Christum opera misericordiarum membris suis præstita sibi ipsi præstita reputare, proinde nec tunc poterunt illad interrogare. 2. Reprobis eodem modo dicuntur iudicem interrogaturi, *Domine, quando te vidimus esurientem? Atqui illi, si non aliunde, tamen ex responso iudicis electis dato cognoscere poterunt Christo esse data, quæ pauperibus data, ac*

Gggg 3 proinde

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

proinde etiam Christo denegata, quæ pauperibus denegata. 3. Aut omnes simul ita quærent, aut singuli seorsim. Si omnes simul, erit perturbata quædam vociferatio & confusus sonus. Sin verò singuli seorsim, longo opus erit temporis tractu. 4. Ne quidem rationem sententiæ verbis externis à iudice proferendam indubitato affirmari potest, ut superius ostendimus, quanto minus verisimile est, hanc sermocinationem inter iudicem & electos ultrò citroq; habendam. 5. Reprobos non dignabitur iudex prolixo colloquio vel informatione, sed velut *ἀδύνατα & ἀναδύνατα* post audiram damnationis sententiam statim à conspectu iudicis removebuntur, i. ut agnoscamus, quàm grata & accepta Christo venturo iudici sint misericordiæ & caritatis opera, quæ eo loco habiturus sit, ac si ipsi in propria persona sint præstita. Euthymius in h. l. *Verba hæc ideo posita sunt in parabolis, ut cognoscatur responsum. Quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis.* 2. ut cordi nostro fortius hoc imprimamus, Christo ipsi præstita i quod membris ejus exhibetur, ac proinde majori alacritate opera misericordiæ & beneficentiæ exercemus. Non quidem ignorant pii, Christum sibi præstitum reputare, quicquid ipsius nomine pauperibus præstitum, interim quia hoc non ita penitus ipsorum animis infixum, uti par erat, & quia contentum pauperum aspectus sæpius eorum beneficentiam retardat, inde per quandam hypotyposin oculis ipsorum illud quasi subjicitur. 3. ut ex eo intelligamus, in quàm felici & optato statu piorum causa in die iudicii sit futura, quod habituri sint tot quali patronos ac testes, quot habuerunt in hac vita clientes & beneficiarios. Illi enim omnes publicè de ipsorum beneficentiâ tanquam veræ & vivæ fidei fructu testabuntur; quin & Angeli, quos in hac vita habuerunt custodes, erunt pietatis ipsorum testes; imò iudex ipse vilissima & exigua misericordiæ opera ab ipsis præstita & publicè prædicabit & sibi præstita reputabit. Ex his etiam facile intelligi potest, quo animo electi introducuntur quærere, *Domine, quando te vidimus esurientem & papimus te?* Neq; enim hoc eo sensu accipiendum, i. quasi velint iudicis sententiam falsitatis arguere, id quod ab electis utpote fidelibus & obsequentibus Christi discipulis alienissimum. 2. vel quasi de veritate dictorum dubitent, quia de infallibili iudicis sententia erunt certissimè persuasi. 3. sed nec quærant ex ignorantia, quod verba Christi non intellexerint, ac existimaverint Christum de se in propria persona loqui, cum tamen in carne mortali eum esurientem nunquam viderint, quæ Maldonati est opinio. Optimè enim intelligent electi, Christum non loqui de sua persona, sed de pauperibus, cum omnis ignorantia, dubitatio & error ab ipsis, utpote qui in corporibus glorificatis resurrexerunt, tum sint abfutura. 4. nec quasi suam de operibus suis sententiam à Christi iudicis sententia se jungere velint, quia ut voluntatum, ita quoq; mentium perfecta unitas ac conformitas erit inter Christum & electos. 5. nec opus est eò cum quibusdam confugere, quod hæc tantum de illis sint accipienda, qui Christum in carne mortali in terris versantem non viderunt. 6. Multò minus cum Salmerone statuendum, quod hoc accipiendum sit de iis, qui Christum in hac vita ex verbo non agnoverunt, & tamen opera misericordiæ exercuerunt. Ab-

fit enim, ut gentilibus agnitione Christi destitutis propter qualiacunque bonorum operum simula-chra mortua salutem æternam tribuere velimus. Sed quærant partim ex vera & sincera humilitate, quod opera sua non æstimabunt tantà remuneratione digna, sicut etiam Apocal. 4. v. 10. electi sic describuntur, quod *mittant coronas suas ante thronum Agni, dicentes.* Non nostris meritis coronas illas obtinuimus, nec nos illis digni sumus, sed tu Domine Deus noster dignus es accipere gloriam & honorem & virtutem, partim ex admiratione humilitatis illius effectus & consequente, quâ mirabuntur *παράδοξον τὸ σὺν τῷ σαρῆνας* Sap. 5. v. 2. ac stupebunt opera sua tam honorificè commendari & tam beneficè remunerari, imò tantà Christo æstimari, ut sibi ea impensata statuat, quæ se illius personæ non recolent impendisse. Origenes in h. l. *Non oblii eorum, qui genuerunt, hæc respondebunt, sed humilitatis causâ laudabunt benefactorum suorum indignos se proclamantes.* Autor operis imperf. in h. l. *O humilitas, que nec post mortem in sanctis deficit.* Homo enim malus etiam falsis laudibus deletatur, vir autem bonus etiam debitam sibi laudem fugit. Beda in h. l. *Sancti dicunt hæc, sive gloriam Christi mirantes, sive quod parum tunc videtur omne bonum, quod fecerunt pro magnitudine terroris & abundantia retributionis.* Glossa ordin. in h. l. *Non dissidentes de verbis Domini hæc dicunt, sed vel stupentes pro magnitudine maiestatis Regis, vel quia parum videtur illis omne opus bonum quod fecerunt.* Prælucent igitur hi iusti nobis suo exemplo, quàm humiliter de nostris operibus sentire debeamus. Non dicunt, Domine nos aliquoties te esurientem pavimus, pondus & æstum diei portavimus. Matt. 20. v. 12. Sed *dextra ipsorum nescit, quæ fecit sinistra.* Matth. 6. v. 3. cum plurimo fecerint, tamen *sele inutiles servos* dicunt cum *nihil aliud fecerint, quam quod debuerint* Luc. 17. v. 10. Idem affectus debet esse in nobis, non gloriemur de operibus nostris, non iactitemus ea in Dei iudicio, sed agnoscamus multum illis adhærere imperfectionis & infirmitatis, ac proinde ea non posse iudicium Dei ferre, si secundum strictum iustitiæ rigorem nobis cum agere velit. Ita iudicârunt de se & operibus suis omnes sancti Exod. 34. v. 7. Job. 9. v. 2. Psal. 32. v. 6. Psal. 130. v. 3. Psal. 143. v. 2. Esa. 64. 6. Rom. 7. v. 14. 1. Cor. 4. v. 4. Jac. 3. v. 2. 1. Joh. 1. v. 10. &c. *Vera humilitas ignorat merita propria,* inquit ipse Bellarminus lib. 5. de iustific. c. 6. quantum igitur ab hac humilitate absunt, qui totis viribus obtinere cupiunt, opera sua esse ex condigno vitæ æternæ meritoria, qui sibi persuadent, se etiam opera supererogationis præstitisse, qui dicunt cum principe Matth. 19. v. 20. *Omnia Dei præcepta servavi à juventute mea,* & cum filio seniore, *nunquam mandatum tuum præterivi* Luc. 15. v. 20. &c. Videmus etiam, quod non debeamus operari bona intuitu mercedis, ac cum opinione promerendi per opera vitam æternam, sed ex simplici corde & filiali obœdientia. Si enim hi iusti opera misericordiæ intentione consequendi per ea vitam æternam secessissent, nequaquam in illam admirationem prorumperent. Vera caritas & vera pietas non est mercenaria, quamvis merces eam sequatur, sed veræ caritatis proprium est, gratis nullo mercedis intuitu aliis inservire, benefacere illis, à quibus non potest sperari compensatio, opera sua non magni æstimare &c. Confer tract. de bon. operibus §. 120.

Quod

Quod si hac ratione cum iustis ex vera humilitate opera nostra extenuemus, Christus ea pradicabit & magnificabit, unde additur: *Et respondens Rex dicit illis: Amen dico vobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Scopus Christi est docere, quod in die iudicii tanquam sibi praestitum aestimare, praedicare & remunerari velit, quicquid membris suis in hac vita exhibitum fuerit. Singula autem responsi verba valde sunt emphatica: 1. utitur consuetâ asseveratione, ut dictorum suorum veritatem confirmet, & hanc sententiam magis nobis inculcet. *Amen dico vobis*, Ego, qui sum ipsa veritas, certissime vobis confirmo &c. 2. in genere dicit *εἰς ὅσον ποιήσατε* quatenus fecistis, videlicet vel hæc enumerata omnia, vel quædam illorum, vel similia caritatis & misericordiæ officia, ut sciamus, nec illis mercedem defuturam, qui aliquid horum ex verâ fide fecerint. *Vulg. εἰς ὅσον reddidit quamdiu*, sed rectius vertitur in quantum, vel quatenus, eo ipso quo fecistis &c. Syrus habet vocabulum *מדי* sicut, quando, quare, scilicet &c. 3. *Quatenus fecistis* est uni, multo magis si pluribus. Nemo igitur hoc nomine doleat, quod non omnibus Christi membris benefacere possit, Christus ratum & gratum habebit, quicquid vel uni ipsorum praestitum fuerit. 4. Quatenus fecistis *εἰς ὅσον uni horum*. Intendit digitum in Apostolos sibi tunc astantes, cum in monte oliveti hoc proponeret. Illos voluit hac promissione consolari, quia propter Christum & Evangelium paupertatem, nuditatem & varias calamitates in mundo erant perpassuri, sed Christus erigit eos, quod semper aliquos habituri sint, à quibus cibentur & foveantur, quodq; hoc officium tanti habiturus sit, ac si esset sibi metipso in propria persona praestitum. Eodem modo loquitur Matth. 10. v. 42. *Quicumque potaverit unam τῶν μικρῶν τῶν υἱῶν ἑνὸς ἀπὸ τῶν καλῶν ἀναψύξαι, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Eisdem etiam in specie designat, quando Matt. 12. v. 48. extendens manum suam in eos dicit, *Ecce fratres mei.* Interim tamen, sicut ibidem statim in genere subjungit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater*, ita quoq; hoc loco non solum Apostolos suos intelligit, sed etiam omnes Apostolis similes, hoc est, omnes verè pios fide Christo adherentes & impositum paupertatis onus patienter sustinentes, quicquid etiam illis praestitum fuerit, sibi praestitum reputabit. 5. Quatenus fecistis *εἰς ὅσον uni de his fratribus meis*, Apostolos & omnes pios vocat fratres suos, non solum ratione carnis & sanguinis, sive assumptæ Naturæ, juxta quam est ipsis *ὁμοῦς* Hebr. 2. v. 11. & 16. etiam in ipso statu gloriæ, sed maxime ratione spiritualis cognationis, quia verè pii per fidem sunt in filios Dei adoptati Johan. 1. vers. 12. atque hac ratione etiam fratres Christi facti Johan. 20. v. 17. Ideo verò ad hanc spirituales fraternitatem in operibus misericordiæ nos remittit primò, ut beneficentiam Christianorum à beneficentia gentium distinguat. Gentiles itidem pauperum esurientes, potaverunt sicentes, vestiverunt nudos &c. sed illud non fecerunt ex fide, sed ex naturali humanitate & compassione, Christiani verò ex fide misericordiæ opera fecerunt ipsi Christo in esurientibus Christianis esurienti benefacientes. Benefacere pauperi tantum ideo, quia pauper est, pertinet ad naturalem ac moralem misericordiam, sed beneficere pauperi, quia pauper est frater, sed beneficere pauperi, quia pauper est frater & membrum Christi, est proprium Christianæ misericordiæ, quæ propter Christum, hoc est, propter mandatum Christi & propter artificiosam conjunctionem Christi cum pauperibus fidelibus ipsis benefacit. Secundò, ut nos admoneat, ut beneficentiam nostram exerceamus erga fideles tanquam Christi fratres ac Dei filios, & consideremus in ipsis Deum, cujus filii sunt, & Christum, cujus fratres sunt. Idem enim hoc loco est Christi fratribus benefacere, quod Matth. 10. v. 24. in nomine discipuli alicui benefacere, ac Matth. 28. v. 5. in nomine Christi alicuem recipere. Hieronymus, in h. l. *Libera erat nobis intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sed ex hoc, quod sequitur. Quod fecistis uni de fratribus meis &c. mihi non videtur generaliter dixisse de pauperibus, sed de his, qui pauperes sunt spiritu, ad quos extendens manum dixerat. Fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris.* Neque tamen ideo pauperes fideles, quos vocat fratres suos nobis commendare existimandus, quasi reliquorum curam plane negligere & abjicere debeamus, sed juxta Apostoli explicationem Galat. 6. 10. traditam, hoc non exclusivè, sed *εἰς ὅσον* accipiendum, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Quamvis enim nondum sint Christi fratres, qui beneficentiâ nostrâ sublevari desiderant, tamen fieri possunt Christi fratres, ac hæc ipsa nostra beneficentia potest eos ad fidem Christi invitare. Petr. 3. v. 15. quod si vel maxime nunquam fiant fratres Christi, non tamen peribit nobis beneficentiæ fructus, qui enim omni petenti dare iussit, cuius petenti ex fidei & simplici corde datum se remuneraturum promisit. Theoph. in h. l. *Fratres vocat vel suos discipulos vel omnes pauperes, omnis enim pauper est Christi frater, quatenus pauper, quandoquidem & Christus in paupertate vixit.* 6. Quatenus fecistis uni de his fratribus meis *εἰς ὅσον uni de his fratribus meis minimis*, τῶν ἐλαχίστων est in Græco, quod Interpres Latinus minus rectè vertit *minoribus*, ex quo loco cognomen Minorum quosdam Franciscanos sumisse Erasmus monet. Sed Christus hic non loquitur de *factitia* illa religione Franciscanorum (ita Anselmus & Gerson Monasticos ordines vocant) sed de pauperibus & indigentibus, quos vocat *minimos*, non quod ipse eos pro minimis & abjectis habuerit, cum in mundo viverent, vel quasi in die iudicii pro minimis eos habere velit, cujus contrarium docet, quando eos fratres vocat, vel quasi à nobis pro minimis censeari debeant, quod prohibet Apostolus Jac. 2. v. 2. vel quasi in die iudicii reprobi eos pro minimis sint habituri, cujus contrarium ostenditur Sap. 5. v. 3. sed *minimos* vocat respectu habito tum ad mundi opinionem, coram quo minimi sunt aestimati, imò pro *καταξίωται* ac *καταξίωται* habiti 1. Cor. 4. v. 13. tum ad ipsorum pauperum affectum, quia in oculis suis parvi fuerunt. Origenes in h. l. *Minimos dicit aut quasi in mundo existimatos, aut qui apud seipsos minimi erant. Volentes enim apud Deum fieri magni, seipsos minimos faciebant, quasi carissimi discipuli ejus, qui dixit, Discite à me, quia humilis sum.* Ostenditur insuper verum veræ beneficentiæ objectum, videlicet quod Christianæ pietatis sit, minimis benefacere, hoc est, illis, qui non possunt retribuere Luc. 14. v. 13. quæ enim vel luxuriose in adulatorum effunduntur, vel

gloriæ





gloriæ captandæ causâ impenduntur, vel retributionis intuitu in alios conferuntur, de illis Christus hoc loco non agit, nec ea sibi præstita reputabit: *Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia*, ait Hieronymus in Epist. ad Demetriad. Potest etiam hoc accipi distributivè: *Quicquid uni ex minimis his fecistis &c.* hoc est, si vel maximè minimus sit inter omnes fratres meos, cui benefacitis, tamen mihi factum reputabo, Apostoli, Martyres, Confessores sunt quasi magni fratres Christi, pauperes fideles sunt minimi fratres, nulla igitur prætermittenda beneficiæ suppetit excusatio. Si vel maximè non possis magnis Christi fratribus benefacere, tamen occasio suppetit minimis benefaciendi, quos ipsos etiam Christus pro fratribus habet. 7. Quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, *mibi fecistis*, nimirum quia sunt fratres mei. Jam verò quod fratri inopiam patienti ab alio præstitum, id frater sibi præstitum æstimare solet. Sunt etiam membra corporis mei mystici. Jam verò quod membris bene fit, illud caput sibi accommodat. Intelligitur etiam ex antecedente consequens, *Mibi hoc fecistis*, hoc est, illud eo loco in die iudicii habebis, ac tam largè remunabor, ac si mihi ipsi in propria persona à vobis præstitum esset. Videamus autem ex hac Christi responsione: 1. Quanti æstimet caritatis & misericordiæ opera fidelibus suis præstita, videlicet quòd ea sibi ipsi præstita reputet, quo nullum potest efficacius esse *ὀφειλήσιον* ad beneficentiam. Iren. lib. 4. cap. 34. *Qui nullus indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras ad hoc, ut præstet nobis retributionem honorum suorum.* Cyprianus serm. de eleemos. *Quid potuit nobis majus Christus dicere? Quomodo potuit magis justitiæ ac misericordiæ nostræ operam provocare, quam quòd præstari id dixit sibi, quicquid egeni præstatur & pauperis, ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur; & qui non cogitat in labore & egestate conservum vel Dominum, cogitet in illo ipso, quem despicit, constitutum.* Chrylost. homil. 50. in Genes. *Dominus tuus esuriens obambulat, & tu es in deliciis? neque hoc solum, sed in deliciis ipsum despicias? ipse frigore rigescens obambulat, tu autem sericis indutus ne respicias quidem, nullam compassionem præ te fers, sed immisericorditer præteris?* Augustinus serm. 50. de temp. *Christus accepit, quòd dedisti. Ille accepit, qui tibi unde dares, dedit. Ille accepit, qui in fine tibi seipsum dabit &c.* Cum sit verus Dominus & honorum nostrorum non egeat, tamen ut aliquid etiam erga illum faceremus, esurire dignatus est in pauperibus suis. Leo serm. 2. de jejunio septimi mensis cap. 4. *Noli desperare de favore, noli de accipiente diffidere. Quòd uni fecistis, mibi fecistis. Quis dicat, intellige? & apud quem opera tua colloques, perspicacius fidei oculis securus agnosce, non dubitet de receptione, cui Christus debitor est.* Id serm. 4. de collect. & eleemos. *Misereantur pauperum, qui sibi volunt parcere Christum. Faciles sint in alimentis miserorum, qui cupiunt ad societatem pertinere felicium. Non sit vilis hominis homo, nec in quoquam despiciatur illa Natura, quam rerum conditor suam fecit.* Gregorius homil. 23. in Evang. *Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad convivia eterna valeatis. Præbet modo peregrino Christo hospitium, ut vos in iudicio non quasi peregrinos nesciat,*

*sed ut proprios ad regnum recipiat* 2. Neque verò hoc solum *Φιλανθρωπίαν* & benignitatem Christi arguit, quòd fidelibus præstita sibi impensa æstimat, sed etiam quòd in summa illa majestatis & gloria, in qua ad iudicium veniet, etiam minimos fidelium fratres suos vocare non erubescat. Hebr. 2. v. 11, *Autor operis imperfecti, in h. l. O bonitas Christi! Esto, quamdiu in corpore contemibilis erat in mundo, fuerat verisimilis ratio, ut propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret, quid autem dicamus, quòd in illa gloria constitutus adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem, si bonos servos illos vocaret? &c.* Homo si ex humili generatur, & Deo præstante ad aliquam ascenderit dignitatem, erubescit generationem suam audire &c. Et Christus adhuc gloriatur fratres suos dicendo, *sedens in maiestate. Et merito, quia veniens in iudicio gloriæ non mutavit priorem voluntatem.* Confer Eucherium in h. l. 3. Arctissima est conjunctio Christi & fidelium, propter quam non solum sibi præstitum dicit, illis quòd præstatur, sed etiam se in illis esurire & sitire dicit. Actor. 9. v. 4. Origenes in h. l. *Sicut anima habitans in corpore, cum non esuriat quantum ad suam substantiam spirituales, esurit tamen unumquemque corporis cibum, quia copulata est corpori suo: sic & Salvator patitur, que patitur corpus ejus Ecclesia, cum sit ipse impassibilis, quantum ad suam divinitatem: Sanctis enim indigentibus cibo & ipse esurit.* 4. Nefas est quenquam pauperum fidelium abjicere, tanquam beneficiæ nostræ indignum cum Christus hic dicat, quòd uni ex minimis fecistis, *mibi fecistis*. Si pauper indignus videatur, cui benefacere cogites, Christum esse dignum, cui in pauperem benefacias. 5. Christus non commemorat beneficia in diebus carnis suæ in propria persona sibi præstita, sed quæ membris suis præstita. Tribuendum hoc ipsius dilectioni & veræ beneficiæ probationi. Qui Christo in persona propria benefacit, de eo non est certum, an etiam abjectis & contentis ipsius membris, videlicet fidelibus pauperibus sit benefactorus, sed qui abjectis & contentis Christi membris benefacit, de eo certum est, quòd multò magis Christo in propria persona benefactorus esset. 6. Quò minoris faciunt iusti sua opera, eò majoris ea Christus in iudicio facit; quò minus in bonis operibus sua quælibet commoda, eò majora ipsis retribuere præmia; quò abjectiores fuerunt cum suis operibus in oculis suis, eò honoratiores erunt in oculis iudicis.

Atque hæc est prior pars sententiæ judicialis erga electos, *lata profecto & desiderabilis.* Posterior pars adversus reprobos proferenda erit perquam *tristis & horribilis.* Postquam enim Rex electos ac dilectos suos suavissimis verbis ad plenariam regni cælestis possessionem invitavit, tunc dicit & his, qui à sinistris erunt. *Discedite à me maledicti &c.* Non additur, quòd Rex dicturus sit reprobis, quia non exhibebit se erga eos ut benevolam & beneficentem Regem, sed ut severissimum iudicem. Absolvitur autem & hæc sententia tribus partibus: 1. Sententia pronuntiatione: 2. lata sententiæ ratione, 3. ejusdem declaratione. Pronuntiatione sententiæ completur 1. *tristem depulsionem: Discedite à me. Πόρευθε* ut plurimum usurpatur de loci mutatione per profectum aliò susceptam Matth. 2. v. 9. & 20. cap. 10. v. 9. & c. Significatur igitur quòd reprobi ab illo lo-



nalis ille ignis futurus sit materialis & corporeus, an verò eo duntaxat metaphoricè adumbretur poena infernalis, quod ex Esa. 30. v. 33. cap. 66. v. 24. Marc. 9. v. 44. & aliis Scripturæ dictis ac rationibus quidam probare conantur, de eo in tract. de morte æterna §. 68. latè egimus, hoc loco illud monemus, ut in priore sententia parte per regnum, ad quod vocantur iusti, summa felicitas, beatitudo, lætitia & gloria intelligitur, ita in hac posteriore sententia parte per ignem, in quem damnati ablegantur, summam infelicitatem, miseriam, dolores & cruciatus vel metaphoricè vel certè synecdochicè significari. Describitur autem ignis ille à iudice primò ab æterna duratione. *Discedite in ignem æternum.* August. lib. de Natura boni ad v. Manich. cap. 39. monet, alio sensu hunc ignem æternum dici, quàm quo Deus æternus vocatur. *Æternum ignis*, inquit, *non sicut Deus æternus dicitur propriè, quia propterea ignis æternus est, quod sine fine sit, non est tamen sine initio, Deus autem etiam sine initio est.* Hæc rectè quidem dicuntur, tùm ex hypothesi, quâ statuitur, ignem infernalem esse materialem & corporeum, nullum enim materiale & corporeum est Deo coæternum, tùm respectu habito ad actuaalem dolorem Angelorum & hominum malorum, quem in igne illo in æternum, non autem ab æterno sentiunt, quia nec ipsi ab æterno fuerunt, interim tamen certum est, Deum omnium præcium ob prævisam Angelorum malorum ἀποσάσιαν & finalem quorundam hominum incredulitatem voluntate consequente & iudiciaria æternum fecisse decretum non solùm de piorum & finaliter credentium hominum glorificatione, sed etiam de impiorum & finaliter incredulorum damnatione. Libenter autem concedimus, propriè & principaliter ignem infernalem hinc propterea vocari æternum, quia semel accensus nunquam extinguetur, unde etiam ἀσβεστος vocatur Matth. 3. v. 12. ac Christus emphaseos causâ tribus vicibus repetit Mar. 9. 44. 46. & 28. quod ut vermis damnatorum non moritur, ita quoque ignis eorum non extinguetur, ex quo loco August. 1. de fide & bonis operibus c. 15. rectè colligit, ignem illum æternum dici, non tantùm ratione durationis, sed etiam ratione cruciatuum, quos damnati ab eo & in eo in omnem æternitatem tolerare cogentur. 2. à preparatione. *Discedite in ignem paratum.* Non quidem addit à Patre cœlesti illum paratum esse, interim tamen certum est, iusto Dei iudicio eum impiis esse paratum. Esa. 30. v. 33. de fovea infernali dicitur, quod *parata ab heri*, ubi Pagninus in versione non dubitavit inferere, *profundam fecit eam Deus dilatavit eam secutus hac in re dubio procul fidem quorundam exemplarium Græcorum, quæ in hoc loco Matthæi Eiaia oraculo parallelo pro ἡτοιμασμένον legunt ὁ ἡτοιμασεν ὁ πατήρ μου*, quam lectionem sequuntur multi ex vereribus Patribus, Irenæus lib. 3. cap. 35. Cyprianus serm. de eleemos. Augustinus in Psal. 85. Autor librorum de mirabilibus Scripturæ qui habetur inter opera Augustini (lib. 1. c. 2. Leo serm. de jejuniis decimi mensis; ac Iuvenecus lib. 4. Histor. Evangel. verba Christi sic expressit.

*At vos iniusti iustis succedite flammis*

*Et pœnis semper mentem torrete malignam.*

*Quas Pater horrendis barathri per stagna profundis Demonis horrendi sociis, ipsique paravit.*

Quamvis enim Deus ratione antecedentis voluntate

is non delectetur morte hominis temporali, multò minus æternâ Ez. 18. v. 23. quo sensu & respectu mortem non fecisse, nec in perditione impiorum lætari dicitur Sap. 1. v. 13. tamen ratione consequentis & iudiciariae voluntatis ignem æternum Diabolis & hominibus finaliter incredulis rectè dicitur parasse, Deut. 32. v. 22. *Ignis accensus est in furore meo & ardebit usque ad inferni novissima.* Ultio iræ & indignationis meæ adversus transgressores exardescet instar ignis ad novissima inferni usque pertingent. Psal. 21. vers. 9. *Dextra tua inveniet omnes, qui oderunt te.* v. 10. *pones eos ut clibanum ignis in tempore iræ tuæ, Dominus in ira absorbebit eos & devorabit eos ignis* Esa. 30. v. 33. *status Domini sicut torrens sulphuris ignem & ligna inferni succendet*, h. e. quemadmodum homo flatu suo ignem accendit & fovet, sic ira Dei, quæ est instar ignis inferni flammæ succendet & in æternum fovebit, unde damnatio impiorum Matth. 23. v. 33. vocatur iudicium gehennæ, quia scilicet Deus ex iusto iudicio hanc poenam impiis infliget. Confer tract. de Inferno §. 31. ubi pluribus hoc ipsum declaratur. Quamvis verò, ut piis & credentibus ab æterno paratum est regnum cœlestis quia Deus elegit eos ad salutem ante iacta mundi fundamenta Ephes. 1. v. 4. ita quoque impiis & incredulis ab æterno paratum sit infernalis ignis, quia Deus ob prævisam finalem incredulitatem iusto iudicio eos reprobovit, tamen Christus hoc loco non dicit, *ite in ignem æternum*, paratum ante iacta mundi fundamenta, sicut dixerat ad electos, *possidete regnum paratum vobis ante mundi constitutionem.* Studiosè enim cavere voluit, ne daretur cuiquam occasio suspicandi, supplicium paratum fuisse ante peccatum, quasi reprobi non tam ob peccatum, quàm ob decretum divinum damnari videantur. Prævisio enim illa peccati & finalis incredulitatis, propter quam consequente & iudiciaria voluntate Deus infernum damnatis paravit, subtilior est, quam ut rudibus incœlari & ab ipsis fati comprehendere possit. Inde Christus regnum cœlorum ab æterno paratum dicit, quia scilicet Deus illud sponte & summa cum voluntate paravit, sed de infernali igne simpliciter dicit, *ite in ignem paratum*, quia non nisi ob prævisum peccatum & quasi invitatus Deus illum paravit, à Demonum associatione. *Discedite in ignem æternum paratum Diabolo & Angelis ejus.* Diaboli nomine intelligit caput ac Principem malorum spirituum, qui primus à Deo apostatavit & reliquis defectionis causa extitit, cuius Scriptura semper in singulari mentionem facit Matth. 4. v. 1. c. 13. v. 39. Luc. 4. v. 2. & c. Vocatur aliàs Beelzebub & Satan, ac Apoc. 12. v. 9. graphicè sic describitur: *Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satan, qui seducit universum orbem.* Syrus eum vocat *ܕܝܒܘܠܘܢܐ* pervulgantem obtrusionem. Nam *ܕܝܒܘܠܘܢܐ* est idem quod *ܕܝܒܘܠܘܢܐ* divulgavit, promulgavit, palam fecit & *ܕܝܒܘܠܘܢܐ* est obtrusio, ut exponit R. D. Kimhi & autor libri Aruk. Dicitur autem Princeps ille malorum spirituum Diabolus sive pervulgans obtrusionem, quia ipsius proprium est calumniari & homines ad calumnias impellere, est κατήγορος ἡμῶν Apoc. 12. v. 10. Chrysof. homil. 2. in 2. Cor. 1. ἀντικείμενον καλεῖ διαβολὸν, ἐπὶ ᾧ καὶ ἔσται ἁπλοῦς ἀνθρώπων διαβολὴ καὶ ἡμᾶς πρὸς θεὸν καὶ πάλιν ἡμᾶς αὐτὸς πρὸς ἀλλήλους. Per Angelos hujus Diaboli quidam

quidam intelligunt homines impios, quorum opera ad mala machinanda utitur, sed rectius intelliguntur Demones inferiores, quorum ipse caput est ac Princeps. Ap. 1.2.v.7. & 9. qui dicuntur *Angeli Diaboli*, tum quia ipse defectionis autor ipse extitit, qui maluerunt potius adherere Diabolo seductori, quam Deo creatori, tum quia retinuit dominium in eos quod à Deo ante apostasiam acceperat, tum quia illorum opera & ministerio ad homines seducendos abutitur. Quare verò Christus addit, hunc ignem infernalem, in quem impii ablegantur, paratum esse Diabolo & Angelis ejus? Causa primaria ac principalis ea est, quod significare voluerit supplicii infernalis atrocitatem. Nemo enim dubitat, quin gravissimum & atrocissimum sit futurum Diaboli & Angelorum ejus supplicium, cum tot pessimis factis iram Dei & poenas accumulare non cessent. Quare dum Christus dicit impios unum idem quod supplicium cum Diabolo passuros, vehementissimè poenarum infernalium atrocitatem exaggerat, & consequenter eò efficacius à peccatis & supplicii illius causis nos detinet. Leo ferm. 4. de collect & elemos. Cum illis habituri sunt poena communionem, cujus elegerunt facere voluntatem. Theophylactus in h. l. Merito idem supplicium habent, qui ejusdem voluntatis sunt, qui & propriis operibus maledicti facti sunt. Quemadmodum sententiam pro justis in die judicii ferendam Christus sic informat, ut in omnibus ac singulis verbis Dei erga ipsos benignitatem & futuram eorum felicitatem exaggeret: sic sententiam adversus impios ferendam itidem eò modo informat, ut in omnibus ac singulis verbis iræ divinæ gravitatem & poenarum futuram acerbiteratem exaggeret, unde in hac contra impios pronuncianda sententia est perpetua antithesis verborum prioris sententiæ. Ibi dicitur: *Venite*, quæ est vox invitantis, probantis & recipientis, hic verò *discedite*, quæ est vox ablegantis, reprobantis & rejicientis.

*Quam tristis vox est, judex cum dixerit, Ire, Tam dulcis vox est, cum dixerit ille, Venite.*

Ibi dicitur, *Venite benedicti*, hic verò *Ite maledicti*. Ibi dicitur, *Venite*, possidete regnum; hic verò *Discedite in ignem*. Ibi dicitur, possidete regnum paratum vobis, hic verò *discedite in ignem paratum Diabolo & Angelis ejus*. Sic ergo Christus occurrit omnibus cogitationibus impiorum, quibus aliquam malorum suorum mitigationem sibi polliceri possent. Quod si enim cogitare velint, si vel maximè judex nos à se repellat, tamen benedictione aliqua nos dignabitur, sicut Esau typus reproborum à parente Isaac repulsus dicebat Genes. 27. v. 38. *Num unam tantum benedictionem habes Pater? mihi quoque, obsecro benedicas*. Sed Christus huic cogitationi occurrit, prædicens se impiis diciturum: *Discedite à me maledicti*. Si cogitare velint, etiam si judex absque benedictione nos à se repellat, tamen in locum amœnum ac delectabilem nos ablegabit, sed Christus huic cogitationi occurrens subjicit: *Discedite in ignem*. Si cogitare velint, etiam si in igne aliquandiu cruciandi simus, tamen citò desinet ille ignis, sicut in hac vita per horam unam atque alteram cruciantur, qui flammis ustulantur, sed Christus huic cogitationi occurrens subjicit: *Discedite à me in ignem æternum*. Si cogitare velint, etiam si æterno igne cru-

ciandi simus, tamen minus erit illud supplicium, quam Diaboli, à quo seducti sumus. Sed Christus huic cogitationi occurrens subjicit: *Ite in ignem æternum paratum Diabolo & Angelis ejus*, cum illo habebitis consortium supplicii, cum quo confederati fuistis societate peccati. Secundariæ & minus principales causæ complures dari possunt. 1. Irenæus lib. 3. adv. hæres. cap. 35. statuit, Christum significare voluisse, quod non homini principaliter paratus sit æternus ignis, sed ei, qui seduxerit, & offendere fecit hominem, et inquam, qui Princeps est apostasie, Principi abscissionis & his Angelis qui apostata facti sunt cum eo, quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter, ut illi sine penitentia & sine regressu in malitia perseverant operibus. Barradius hanc causam repudiat, cum impiis & finaliter incredulis hominibus aquè ac Diabolo & Angelis ejus ab æterno paratus sit ignis infernalis sive æterna damnatio. Sed non solum Irenæus, verum etiam alii plures ex veteribus hanc causam afferunt Origenes in h. l. *Ignem æternum non illis quibus dicitur, discedite à me maledicti, paratum ostendit, sicut regnum justis, sed Diabolo & Angelis ejus, quia quantum ad se, homines non ad perditionem creavit, sed ad vitam & gaudium, peccantes autem conjungunt se Diabolo*. Chrysolomus in h. l. *Quando de regno dicebat, paratum vobis ante constitutionem mundi, subjicit, de igne verò non sic, sed Diabolo ait esse paratum. Nam ego regnum vobis, ignem autem non vobis, sed Diabolo & Angelis ejus preparavi, in quem quoniam vos sponte iniecistis, vobis ipsis id reputate*. Eadem repetunt Theophylactus & Euthymius in h. l. Commodè verò hæc causæ explicanda. Autor librorum de mirab. Script. lib. 1. cap. 2. statuit, *Diabolum fuisse lapsum, antequam homo creatus fuit ac peccaret*. Sed hoc nondum sufficit, ut ignis paratus dicatur Diabolo, non hominibus. Comparatè igitur, non exclusivè verba veterum sunt accipienda. Præcipuè primò ac principaliter ignis infernalis Diabolo fuit paratus, non quidem absoluto quodam reprobationis decreto, sed propter apostasiam & defectionem à Deo hominibus non nisi secundariò & consequenter, quia spontè exemplum & impulsum Diaboli secuti itidem à Deo sese averterunt. Si Pædagogus virgâ ob peccatum ab uno discipulorum commissum paratâ cædat alios, qui postea peccant, possit dicere. *Non paraveram vobis hanc virgâ, sed illi, cujus exemplum in peccando secuti estis*, hoc est, non tam vobis, quam illi. Pari ratione accipiendum, quod ignis infernalis non impiis, sed Diabolo paratus dicitur. Potest & hoc addi, quod Deus hominibus in peccatum lapsis de peccati remedio & liberatione ex æterna damnatione per Christum prospexerit; qui remedium illud novo inobedientiæ genere contemnunt, illis demum infernum paravit, sed Diabolum & Angelos ejus statim post lapsum absq; ulla spe reconciliationis & veniæ abjecit; ergo illis potius, quam hominibus primò ac principaliter infernalis ignis paratus dicitur. 2. Christus igitur his verbis tacitè exprobrat damnatis, quod remedium peccati ac medium salutis in verbo Evangelii oblatum perveraciter repudiârunt ac Satanæ iocii & titiones ignis infernalis, quàm Dei filii & regni cœlestis hæredes esse maluerint, ut sit sensus. Nullum fuisset in inferno vacuum metuendum, si vel maximè vestris peccatis ac vestrà incredulitate non præcipitassetis



vos ipsos in infernalem illum lacum, Diabolus & Angeli ejus domicilium in eo habuissent, si vel maximè oblatam in verbo salutem fuissetis amplexi &c. 3. Diabolum tanquam omnium reproborum caput ac Principem sibi ut omnium electorum capiti, ac regnum Satanæ suo regno opponit, tacite insinuans, tum quod in hac vita omnes sint in regno Diaboli, qui non sunt in regno gratiæ & Christi Luc. 11. 23. tum quod in futura vita non sit ullus illi hominum medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo, quæ sunt verba Augustini lib. 1. de peccat. merit. & remis. cap. 28. 4. tacite insinuat, ante extremum judicium Diabolum nondum eo modo in carcerem infernalem inclusum esse, ut ex eo nullus pateat ipsi exitus, sed venit in terram ad homines seducendos Apoc. 12. v. 12. nec in summo gradu infernalibus cruciatus ipsum jamdum torqueri, sed in die judicii demum in carcerem infernalem ita concludendum esse, ut in omnem æternitatem in eo constrictus teneatur, ac ad summum suppliciorum gradum ipsius miseriam tunc demum perventuram Matth. 8. v. 29. Luc. 8. v. 31. Confer tract. de Jud. §. 46.

Atque hæc est horribilis illa sententia, quam justus judex adversus impios in die judicii pronunciat, de qua meritò dicitur, quòd sit fulgur gladii illius, de quo Deut. 32. v. 41. dicit Dominus: *Quando acervo fulgur gladii mei, & arripuerit judicium manus mea, retribuam his, qui oderunt me, quod sit verbum illud asperum, cujus mentio fit Ps. 91. v. 3. (in vers. vulg.) quòd sit laqueus ille, de quo Ps. 11. v. 6. dicitur, Dominus plaet super peccatores laqueos, ignem & sulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorum.* Luc. 21. v. 35. *Dies judicii tanquam laqueus superveniet in omnes, qui sedent super faciem terræ quòd sit tonitru illud horrificum de quo Esa. 29. 6. A Domino exercituum visitaberis in tonitru & commotione & voce magna turbinis & tempestatis & flamma ignis devorantis; quòd sit fluvius igneus egrediens à facie Domini Dan. 9. v. 10. quòd sit ventilabrum illud, quo purgabit Christus aream suam & impios tanquam paleas comburet igni inextinguibili; de quo Matth. 3. v. 12. quòd sit flamma illa ignis in vindictam eorum, qui penas dabunt in interitu æternas à facie Domini & à gloria virtutis ejus 2. Thess. 1. v. 9. quòd sit gladius discipuli ex ore Christi procedens, de quo Apoc. 1. v. 16. quòd sit virga illa ferrea, quæ Christus impios tanquam vas siguli confringet Apoc. 7. v. 27. quòd sit lapis ille molaris, cujus pondere in infernum impii deprimuntur. Apoc. 18. v. 21. quòd sit catena illa, quæ ligabuntur Satanas & omnes impii, ac mittentur in abyssum Apoc. 20. v. 2. & 3. Ubi nemini mirum videatur, quare Christus (qui hanc concionem seorsim ad Apostolos in monte oliveti habuit) de hac horribili sententia adversus impios pronuntianda & de infernalibus suppliciis factioni malignantium paratis Apostolis suis, quibus regnum cœlorum paratum erat, concionari voluerit, Christi enim consiliū fuit, ut ipsi non solū vivā voce aliis hæc de re concionarentur, sed etiam hanc concionem in literas redigerent, ac omnibus eam probè inculcarent. Voluit etiam ipsos munire contra scandalum ex felicitate impiorum in hoc mundo metuendum, quod non debeant ipsis hanc fortem invidere, quam extrema cum inopia ac miseria aliquando commutandam noverint. Quin &*

metus gehennæ non solum impiis necessarius est, sed etiam piis suum præstat usum ad carnem coercendam & à flagitiis revocandam. Apparet igitur ex hac sententia contra impios olim proferenda, 1. Christi *Πίστις* & *Πορνεία* ac *benignitas*, quæ elucet tum ex eo, quòd ut promissione regni ad bene agendum invitat, ita comminatione gehennæ à peccatis revocat, tum ex eo, quòd prius minatur & terret, quam pœnam infligit. Arcum suum prius tendit ac parat, antequam feriat Psal. 7. v. 13. quòd patet & benevoli animi est indicium. Si delectaretur hominum perditione, prius eam immitteret, quam minaretur. *Gladium* habet in ore, sed *scelus* in manu Apoc. 1. v. 14. Chrysof. homil. 5. de pœnit. *Minatur Deus, non quòd gehennam induat, sed quòd a gehenna liberet, alioqui si torquere vellet, non eam ante minatur esset. Terret verbo, quo minus opere torquet.* August. serm. 38. de temp. *Irreconciliabilis illa sententia à piissimo Deo multò ante prædicatur, sicut à nobis totis viribus cavetur. Si enim nos Deus vellet punire, non nos ante tot secula commoveret, Invitus quodammodo vindicat, qui, quomodo evadere possimus multò ante demonstrat, Non enim vult te percutere, qui tibi clamat, observa.* Confer tract. de Inferno §. 1. & de judicio §. 104. 2. *Pœnarum infernalium atrocitas, quam hoc loco Christus graviter exaggerat.* Primo, enim dicit, damnatos fore à beatifica Dei visione excludos, quæ est pœna damni, ut loquuntur, de qua Chrysof. dicit, quòd mille gehennas superet exulare à Dei conspectu. Ut in beatis omne bonum & omne gaudium oritur ex beatifica Dei visione, sic in damnatis omne malum & omnis dolor oritur ab exclusione ab hac Dei visione. Secundò damnati non solum erunt exules & extorres à beatifica Dei visione, sed etiam male dicti, hoc est, sentient in conscientia sua *vermem rodentem* El. 66. 24. Marc. 9. 44. prementur intolerabili pondere iræ & maledictionis divinæ, erunt in perpetua desperatione, sentient perpetuum *fridorem dentium* propter animi angustias, *stetum* propter corporis cruciatus & molestias. Tertio conjicientur in ignem, quæ est *pœna sensus*, ut loquuntur, ubi nomine ignis *convendo*, *quod* intelligitur, quicquid corpori potest noxam & cruciatum afferre. Oculi torquentur fumo & lachrymis, odoratus foetore sulphuris, gustus torquetur siti, auditus ululatu Dæmonum & damnatorum, totum corpus igni ipsa ossa & medullas penetrante. Quarto versabuntur cum Diabolo & Angelis ejus, quæ erit societas miserrima. Si in hac vita spectrum apparet, quantum ex ejus intuitu horror oritur? Quid fiet, quando damnati Dæmones in propria forma conspiciant? Augebit hæc Dæmonum & aliorum hominum damnatorum societas non mediocriter reproborum cruciatus. Quicquid enim mali quilibet damnatorum in altero videt, ab eo sibi metuet. Quintò erit ignis ille æternus & inextinguibilis. Scient damnati nullum sperandum esse suppliciorum finem ac terminum. *O æternitas, æternitas tu sola ultra omnem modum supplicia damnatorum exaggeras!* Confer tract. de Inferno §. 35. & seqq. 3. In hac vita impii & hypocritæ admiscunt se externo Ecclesiæ cœtui, sed tunc audire cogentur, *Discedite à me.* In hac vita sibi ipsis benedicunt & ab aliis benedicti habentur, sed tunc audire cogentur, *Discedite maledicti.* 4. Justorum salvatio divinæ benignitati tribuenda, unde Christus dicit, *regnum illis paratum à consi-*

constitutione mundi, videlicet ex gratuita Dei misericordia, sed in iustorum damnatio propria ipsorum culpa & malitia deputanda, unde Christus dicit, ignem Diabolo esse paratum, cui scilicet sponte similes effici maluerunt, quam salutem in verbo oblatam amplecti Osee 13. v. 9. 5. Impiorum damnatio merito per ignem exprimitur, quia in ignem conjici solent arbores infructuosae, palmites infrugiferi, zizania, paleae, moneta adulterina, scoriae &c. quibus rebus impii in Scripturis comparantur Ps. 1. v. 4. Matt. 3. v. 10. c. 7. v. 19. c. 13. v. 40. Joh. 15. v. 6. Judae v. 12. &c. 6. Peccantes conjungunt se Diabolo & sicut, qui salvantur, sancti Angelis coequantur, & sunt filii resurrectionis & filii Dei & Angeli: sic qui pereunt, Diaboli Angelis coequantur & sunt filii ejus. Origenes in h. l. 7. August. lib. 2. 1. de civit. Dei c. 10. colligit ex hoc loco, Demonas & impios uno eodemque igne cruciandos esse. Cur non dicamus, inquit, quamvis miris tamen veris modis etiam Spiritus incorporatos posse poenae corporalis ignis affligi, si Spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporati & nunc potuerunt includi corporalibus membris & tunc potuerunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari: quae de re quid statuendum sit, vidimus in tract. de inferno § 69.

2. Huic sententiae adversus impios pronuntiatae subjicit iudex rationem, *Esurivi enim, & non dedistis mihi cibum: sitiivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere eram, & non visitastis me.* Haec aeternae sententiae damnatoriae lucem sortitur ex aeternae sententiae absolutoriae, cui directe est opposita. Ut enim opera caritatis & misericordiae ibi producuntur tanquam indicia & testimonia verae fidei in corde latentis, per quam illi qui ad regnum vocantur, facti sunt iusti, benedicti, Dei filii & vitae aeternae heredes: ita hoc loco in misericordia producitur tanquam indicium & testimonium incredulitatis in corde latentis, quae est immediata, proxima & adaequata damnationis causa Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 18. & 36. Interim non negamus, immisericordiam non tantum esse effectum & indicium incredulitatis, sed etiam simul causam meritoriam damnationis, quae in parte evidens discrimen inter mala opera damnandorum & bona opera salvandorum occurrit, sicut etiam praedestinatio recte dicitur bonorum operum causa, sed reprobatio non potest dici causa malorum operum. Dubium verò haud immerito videri posset, quare Christus praetermissis aliis quamplurimis reprobatorum operibus malis, quibus in hac vita obnoxii fuerunt, solum immisericordiam in sententia damnatoriae ratione adducat? Augustinus lib. 2. 1. de civit. Dei cap. 22. memorat, quosdam voluisse ex eo colligere, quod illi tantum arsi sint aeterno ignis supplicio, qui facere elemosynas neglexerunt, illos vero, qui eas fecerint, quamvis aliqui male viderent, ab aeternitate supplicii fore liberos. Sed illorum opinionem merito improbat, & inter cetera c. 27. ipsis sic respondet: *Qui dignas pro suis peccatis elemosynas facit, prius eas facere incipiat à seipso. Indignum est enim, ut in se non faciat, qui facit in proximum, cum audiat dicentem Dominum: Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Itemque audiat: *Misere anime tuae placens Deo.* Hanc ergo elemosynam, h. e. ut Deo placeat, non faciens anima Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

sue, quomodo dignas pro peccatis suis elemosynas facere dicendus est? &c. Tales elemosynas non dicendi sunt facere, qui vitam nolunt à consuetudine scelerum in melius commutare &c. Si enim esurienti Christiano panem tanquam Christo darent, profecto sibi panem justitiae, quod ipse Christus est, non negarent &c. Nequaquam igitur ex verbis Christi colligendum, quod per elemosynas in hominibus impoenitentibus & incredulis peccata expientur, sed respiciendus est scopus Christi, qui in eo consistit, quod ad opera caritatis & misericordiae nos excitare ac provocare voluerit, sicut in parabola proxime precedente hunc sibi praefixum habuit scopum, ut ad salutarem usum donorum nos provocaret; ac repetenda est observatio superius tradita, quod apud Hebraeos usitatum sit, nominata una vel quibusdam speciebus *συνεχόμενα* totum genus intelligi, quae ratione per immisericordiam etiam hoc loco omnis generis peccata contra primam & secundam Decalogi tabulam à reprobis commissa intelliguntur, ex quibus quaedam tantum & nominatim quidem praetermissa misericordiae opera recensentur. 1. quia illa sunt faciliora & jus Naturae ad ea unumquemque obstringit, unde etiam ex luce Naturae potuissent reprobi intelligere, se ad ea proximo praestanda obstrictos esse, Dionys. Carthus. in cap. 25. Matth. Notandum, quod potius sit disceptatio de operibus misericordiae, quam de operibus justitiae, cum tamen magis teneamur ad opera justitiae, quia opera misericordiae faciliora sunt, quia Natura ad haec inclinat & ideo magis arguenda, ubi deficient & minus remuneranda, ubi adsunt. 2. quia sicut homines nullam re propius accedunt ad Deum, quam miserando & benefaciendo, sic è converso nullam re propius ad Diabolum accedunt, quam immisericordiam. Euthymius in h. l. *Imitati estis immisericordem & inhumanum Diabolum.* Theophylact. in h. l. *Compassionis expertes sunt Diaboli & hostiliter atque inimicè erga nos affecti.* 3. quia praetermissio horum operum à multis pro nullam vel parva peccatorum specie aestimatur. Quando igitur leviorum omissionem arguit, & propter eam inferni poenam infligendam praedicit, intelligendum relinquit, longè magis ob graviorum scelerum commissionem eandem metuendam esse. Sub levioribus facilius intelliguntur graviora, quam sub gravioribus leviora. Sic quia Luc. 16. v. 23. divitem damnatum asserit, non propterea quod Lazaro sua bona eripuerit, sed quod necessaria ei non dederit, ex eo colligendum relinquit, quanta eos maneat supplicia, qui aliorum bona ad se injustè rapuerunt! August. serm. 38. de Sanctis: *Si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, putas ubi mittendus est, qui tulit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non vestit, ubi mittendus est, qui vestitum expoliat? Si cum Diabolo damnatur, qui hospitibus non praebuit domum suam, putas ubi mittendus est, qui tollit alienam? Si periturus est, qui carcerem non visitavit, quid de illo fiet, qui forte in carcerem misit? Attendite, quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt.* Gregorius part. 3. cura pastor. cap. 21. *Hinc colligendum, quantum damnatione plebendi sint, qui rapiunt aliena, sitant à animadversione feriuntur, qui sua indiscretè tenuerunt. Perpendant, quo eos obliget reatu res rapta, si tali subicit poena non tradita? Perpendant, quid mereantur* H h h

itur iniustitia illorum, si tantâ percussione digna est, pietas non impusa. Dionys. Carthus. in h. l. Argui potius eos de omissione, quam de commissione, cum tamen majoris criminis sint commissi, & ideo magis arguenda, quia puniendo quod minus est, innuit amplius faciendum de majoribus. Si enim omnia arguit, multo plus commissa. 4. quia minora sunt peccata, quæ contra proximum, quam quæ immediatè contra Deum committuntur. Quando igitur priora in iudicio arguenda & punienda prædicat, posteriora multo magis arguenda & punienda esse, intelligendum relinquit. Si ita punienda sunt, qui in proximum minus benigni fuerunt, quanto gravius punientur, qui in ipsum Deum injurii fuere? August. lib. de fide ad Petrum cap. 45. Si in ignem æternum dignè mittetur, qui Christo in suis minimis esurienti panem non dederit, quid passurus est, qui ipsum panem, qui de celo descendit, sibi per infidelitatis vitium ademit? Si in flammis perennis exuret, qui Christo in suis minimis sitienti calicem aque frigide non tribuit, quid ille patietur, qui renatus ex aqua & Spiritu sancto sanctum Baptisma in se iterare permittit, quod ad salutem semel & ad Sacramentum sanctæ regenerationis accepit? Si illum credimus perennis subdendum esse tormentis, qui Christum in suis minimis peregrinum hospitio negligit suscipere, quid passurum se putaverit, qui Dominum Christum, de domo cordis sui excludens & Diabolum in se cæcâ prorsus infidelitate recipiens de sancta Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, hereticâ circumventus falsitate discesserit? Et si ille, qui infirmos atque in carcere positos famulos Christi non visitat, igni deputatur æterno, quid illis retribuendum dicimus, qui Dei famulos, in quibus solam persequuntur fidei veritatem, aut squalore carcerum aut exiliorum deportatione violentè affligunt. Dionys. Carthus. d. l. Magis arguit de peccatis in proximum, quam in Deum, quia si peccata in proximum condemnantur, multo magis peccata in Deum, ut blasphemia & idololatria. 5. quia ut caritas est fons & summa omnium bonorum operum ac totius legis impletio Rom. 13. vers. 10. sic neglectus caritatis est fons & summa omnium peccatorum & totius legis transgressio. Nec possunt caritatis opera absque magna proximi injuriâ omitti. Theoph. in h. l. Profecto si benè consideras, raptor est, qui multa habet & non miseretur, etiamsi neminem manifestâ contumeliâ afficiat. Quia enim quedam habet, quibus non indiget, rapit omnino ab his, qui egent & non accipiunt ab ipso. Nam si in commune ea possidet, fuissent utique & illi non indigi, nunc autem quia reclusit & propria fecit, propterea illi esuriunt, atque ita & raptor est, qui immisericors tantâ afficiens injuriâ, quantis beneficiis afficere potuisset illum & non affecit. 6. quia justum est, ut iudicium sine misericordia fiat illis, qui non fecerunt misericordiam Jac. 2. v. 13. Hæ videntur esse præcipuæ causæ, propter quas prætermissa misericordiæ opera reprobis in die iudicii Christus objiciet. Observandum vero ex hac αιτιολογία. 1. Christum non dicere: *Discedite à me maledicti, quia non estis in numero electorum*, quia Deus neminem ex absoluto quodam odio reprobavit; neque dicere, *Discedite maledicti, quia non effudi pro vobis meum sanguinem, quia Christus pro omnibus mortuus est; neque dicere, Discedite maledicti, quia non habuistis suffi-*

ciens auxilium gratiæ meæ, quia Deus omnibus suum verbum & in verbo gratiam suam offert; neque dicere, *Discedite maledicti, quia non habuistis majora charismata, majorem divinorum mysteriorum cognitionem, majorem scientiæ lucem &c.* quia non juxta donorum quantitatem, sed juxta donorum usum instituetur iudicium; neque dicere, *Discedite à me, quia non fuistis in ordine Ecclesiastico, vel in Monasterio, vel in cœlibatu*, quia unusquisque in sua vocatione salvari potest, nec requiritur cœlibatus tanquam ad salutem necessarius. Sed *discedite, quia non pavistis esurientes*. 2. Christum hoc exaggerare, quod facillima & levissima misericordiæ opera reprobi omiserint. Non dicit, propter me & Evangelium meum non dereliquistis uxorem, liberos, facultates &c. non profudistis ob confessionem vestrum sanguinem, non sustinistis propter me flagra, carceres, exilia, bonorum direptiones. Non enim omnium, sed paucorum est fieri Martyres Christi, sed dicit, *Esurivi, & non dedistis mihi cibum*. Nec dicit, *ex carcere me non liberastis, non medicati estis*, sed in carcere & morbo non visitastis me, h. e. quæ & necessaria erant & facilia, prætermisit, multo magis graviora prætermisit. 3. Christum non sine causa aliquoties repetere pronomen relativum *me, me non pavistis, me non potastis*, quia omisio operum misericordiæ majorem culpam & reatum contrahit à conditione personæ, cui denegantur. Non pauperibus, sed mihi vestro creatori, vestro redemptori, vestro Domino &c. cibum denegastis. Ut bona opera dignitatem fortiuntur ex objecto, cui præstantur, si omisio illorum indignitatem fortitur ex objecto, cui denegantur. Chrysostr. in h. l. Si inimicus fuisset, nonne ad immisericos etiam stertendos mitigandosque successissent passiones illi, mediâ scilicet, frigus, vincula, nuditas, agrotatio? aut quia ubique sine tecto pervagatus! hæc enim etiam inimicos movere possent. Vos autem neque amico hæc contulistis, amico dico & Domino & benefactori: At carnem plerumque videmus famescere videntes frangimur, & beluarum invidia nonnunquam stertimur, hæc vero domino famescere non moveris, quæ ratione poterunt hæc excusari? 4. Christum non sine emphasi plura misericordiæ opera ab impiis prætermissa enumerare, ut ostendat omnia, etiam vilissima ab illis neglecta. At si puniendus erit, qui vel unum horum ex proposito & destinata malitia prætermisit, quando ejus faciendi potestatem habuit, quanto gravius punientur, qui illa omnia ac singula neglexerunt? Chrysostr. d. l. *Perpende non unum aut duo, sed omnia illos contempsisse*. Non enim solum esurientem non cibaverunt & nudo amicum non præbuerunt, sed nec (quod facillimum) egrotum visiterunt. Etiam unum peccatum promeretur æternam penam, nisi fiat remissio, quanto magis tot peccata omisionis æternum in reprobis promerentur supplicium. 5. significari hæc speciali enumeratione singulorum operum in iudicio exigendam esse rationem Matth. 12, 35. 2. Cor. 5. v. 10. 6. Eleemosynæ largitionem non esse tantum consilii, sed etiam præcepti, nec in nostro arbitrio relictam, sed divinitus mandatam, alias ejus omisio non esset damnabilis. 7. Specialem hæc doctrinam de impiis ob prætermissa misericordiæ opera à iudice damnationi adjudicatis in genere ad peccata omisionis esse.

esse accommodandam ac *hyperbesin* ad *thesin* revocandam, videlicet omnia peccata, etiam omissionis, esse suâ Naturâ mortalia, ac damnabilia. Interim tamen peccata commissionis in eodem genere graviora esse peccatis omissionis. Autor imperf. operis in h.l. *Si pro eo, quod bene non faciunt homines condemnantur, putas quales penas exolvunt pro eo, quod peccant? Deus enim ideo hominem fecit, ut benefaciat & ad gloriam Dei pertineat, non ideo tantum ut non peccet.* 9. Qualibet peccata omissionis eò graviora esse, quò digniores & magis necessarii sunt actus illis oppositi. Inde Autor imperf. operis in h.l. dicit, *longè gravius hisce reprobis peccare Doctores malos, qui esurientibus & sitientibus cibum justitiæ aut potum agnitionis Dei aut Spiritus sancti non præstant, qui nudos non vestiunt, aut justiciam docentes, aut in Christo baptizantes, qui peregrinos in mundo non colligunt per verbum, nec in Ecclesie domum per fidem introducunt, qui infirmos non curant sermonibus, qui in carcere impietatis sedentes non educunt per penitentiam &c.* Si enim hæc corporis, corporibus non præstare tantæ impietatis est, quæ etsi accipiunt, non possunt semper vivere, putas quantum impietatis est hæc omnia spiritualiter animabus periclitantibus non ministrare, quæ poterant vivere in æternum, si hæc eis ministrata fuissent? *Quantò enim melior est anima quam corpus, tantò gravius peccatum animabus laborantibus spirituales elemosynas non præstare, quam corporibus corporales.* 10. Absentiam horum operum, quæ Christus hic recenset, non esse absolute damnabilem, in illis scilicet, qui ipsimet necessitate pressi eis indigerunt, atque interim verè in Christum crediderunt. Christus enim in iudicio non eos solum prædicat, qui esurientes paverunt, sed etiam eos vocat fratres suos, qui esuriem, sitim, nuditatem &c. patienter sustinuerunt, quamvis nullus ferè priorum tam pauper sit, qui non aliquando & ipse pauperibus benefecerit, si non re, tamen consilio, solatio & commiseratione

3. *Sententiæ declaratio.* Sicut in priorè sententiæ parte *αἰτιολογία* subjecta fuit sententiæ declaratio: ita quoque in hac posteriorè sententiæ parte idem observatur, cui declarationis itidem occasionem præbet reproborum quæstio vel potiùs exceptio. *Tunc respondebunt ei (iudici) & ipsi (qui à sinistris erunt) dicentes. Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere & non ministravimus tibi? Videntur quidem per ἐπιεικειάς, ut Chrysostomus in comm. loquitur, respondere, utuntur enim iisdem verbis, quibus iusti priùs usi fuerant & iudicem vocant suum Dominum. Sed longè alio animo hæc proferunt, quam iusti. Nam. i. jam antè audierant, iudicem sententiæ suam iustis quærentibus & mirantibus declarasse, quod sibi factum reputet, quicquid fratribus suis etiam minimis factum fuerit, ex quo facile poterant intelligere, quod iudex sibi denegarum æstimet, quod fratribus denegaverant. Non ergo discendi, sed potiùs arguendi & contradicendi animo hæc proferunt. Autor imperf. operis in h.l. *O inconvertibilis inobædientia peccatorum! &c.* Nunquid non audierant Dominum suprâ dicentem ad iustos, *Quod uni minimorum istorum fecistis, mihi fecistis? Et utiq; intelligere debuerant, quomodo qui hominibus non facit nec Christo facit. Sed audientes adhuc dicunt, intelligentes fingunt se non in Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda**

telligere. *In iudicio stant & adhuc peccare non cessant.* 2. Quæstio illa non procedit ex admiratione & humilitate sicut superius iustorum quæstio, sed ex animi elatione & superbia. In hac vita Christum in membris suis agnoscere, eiq; benefacere noluerunt, in eadem superbia & pervicacia adhuc perseverant. 3. Conqueruntur de iniquitate sententiæ, quod injustè hoc nomine condemnentur, quasi iudicem esurientem non paverint &c. cum ipsum esurire nunquam viderint, sicq; iudicem protervè potiùs acculant, quam modestè seipos excusant. q. d. *Magnam nobis facis injuriam, nunquam te vidimus harum calamitatum, quas enumerasti, aliquâ oppressum, propter quam nostra ope ac ministerio indigeres, nemo nostrum te in terris obambulantem vidit, vel si qui viderunt, tamen inopiâ pressum agnoscere non potuerunt.* 4. Iudicem quidem Dominum vocant, sed est mera hypocrisis, in qua mortui sunt & cum qua resurrexerunt. Simulant, se non fuisse passos Christum esurire, sitire, nudum ambulare &c. cum tamen membris Christi esurientibus, sitientibus, nudis &c. subvenire noluerint. 5. Vel si hypocrisis illa in die iudicii non amplius locum habebit, tribuendum hoc erit timori servili potiùs, quam reverentiæ filiali; ac coactæ potiùs subiectioni, quam spontaneæ submissioni, quod iudicem vocant Dominum. In die iudicii omnium non tantum piorum, sed etiam impiorum, imò ipsorummet Dæmonum *genua* coram Christo *stententur.* Rom. 14. v. 11, Phil. 2. v. 10. Apoc. 5. A. 13. Thomas in cap. 2. Phil. *Duplex est subiectio, una voluntaria, altera involuntaria. Omnes pii & Angeli sancti Christo subiciuntur voluntariè, sed Dæmones & damnati non sic, verum involuntariè.* 6. Origenes in h.l. observat & Christum iudicem & ipsos reprobos misericordiæ opera concisus ac brevius hic enumerare, quam in priorè sententiæ parte factum fuerat. *Considera, inquit, quia iudex immoratur in unoquoque verbo loquens ad iustos & laudans eos & per singulas species eorum beneficia dinumerat. Loquens autem ad injustos præcidit compendians & concolligens malefacta eorum in breve, id est, iustis quidem de infirmitate dicit. Infirmitas sui & visitastis me. Separatim autem de carcere. In carcere fui & venistis ad me. Ad injustos autem cum potuisset similiter facere &c. præcidens narrationem subunivit utrumque dicens: Infirmitas fui & in carcere & non visitastis me. Quoniam misericordiæ iudicis erat benefacta quidem hominum largiùs prædicare & ampliare, malefacta autem eorum transitorie memorare & brevare. Sed & iusti immorantur in unoquoque verbo dicentes. Quando te vidimus esurientem, & cibavimus? aut sitientem & potavimus, aut nudum, & vestivimus, aut peregrinum, & collegimus? aut quando te vidimus infirmum aut in carcere, & venimus ad te? Quoniam proprium iustorum est beneficia suæ relata sibi in facie diligenter & per singula refutare causâ humilitatis, tanquam si dicente Domino, Hoc & hoc & hoc bonum in me fecistis? illi recusantes dicant. Nec hoc, nec hoc nec hoc fecimus tibi. Injusti non ita per singula, sed cursim dicunt. Quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut peregrinum, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? verbum ministravimus ad omnia referentes & quasi præcidentes & prætereuntes crimina singula, ut non graviora videantur diligenter*



ligenter & sigillatim enumerata, quia proprium malorum est, culpas suas excusationis causa aut nullas velle ostendere, aut leves & paucas. Cui hæc videntur subtiliora, poterit dicere, propterea contractius hic enumerari misericordiae opera, tum quia jam antè sigillatim fuerunt recensita, tum quia conscientia ipsa reprobos accusabit & convinctet, quod prætermiffione illorum operum aternas poenas sibi metipsis attraxerint, unde etiam superius monuimus, animo potiùs & cogitatione, quam verbis & voce reprobos hæc in die iudicii dicturos, quo sensu etiam responsum Christi accipiendum, quo dicit illis. *Amen dico vobis, quatenus non fecistis uni de his minimis, nec mihi fecistis.* Nimirum non tam verbis externis hoc ipsum reprobis respondebit, quam in memoriam ipsis revocabit, quod non solum in vita sua ex verbo Evangelii sæpius audierant, sed etiam quod modò iustis responsum esse perceperant. Repetit eandem asseverationem, quia quàm certum est, Christo in membris suis opera misericordiae à iustis esse præstita, tam certum quoque est, eadem Christo in membris suis à reprobis esse denegata. *Amen dico vobis, quatenus non fecistis uni de his minimis, nec mihi fecistis.* Vocula *enim* dupliciter accipi potest, vel collectivè & universaliter, quatenus non uni horum, id est, nulli hoc fecistis, ita enim Hebraei hisce voculis quandoque utuntur, vel distributivè & particulariter, quatenus uni ex minimis hisce eam non fecistis. Uterque sensus respectu diversorum objectorum locum habere potest, quidam enim reprobi nullis Christi membris opera misericordiae exhibuerunt, quidam verò aliquibus interdum benefecerunt, sed non ex fide, verum ex hypocrisis & reliqua interim Christi membra contemlerunt. Non repetit Christus hoc loco vocabulum fratrum, ut in priore sententiæ parte, sed simpliciter dicit, *quatenus non fecistis uni de his minimis.* Origenes suspicatur, Christum hac ratione peccata reproborum voluisse extenuare. *Volens* (inquit) *Christus iustorum beneficia ostendere grandia, peccatorum autem culpas non grandes, ad iustos quidem dicit. Ex eo, quod fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis: ad injustos autem sic, ex eo, quod non fecistis uni ex minimis meis &c. non adiciens fratribus meis.* Nam abusivè quidem omnes credentes sunt fratres Christi, reverà autem fratres ejus sunt, qui perfecti sunt & imitatores sunt ejus, *Gratius est autem apud Deum opus bonum, quod sit in sanctioribus, quàm minimis sanctis & levior culpa est negligere minus sanctos, quàm sanctiores.* Sed quia non satis commodè dicitur, iudicem verbis reproborum delicta extenuare, quæ gravissimis suppliciis vindicat, & quia nervus rationis, quare ob prætermiffa misericordiae opera reprobi tam graviter puniantur, in eo consistit, quod Christo ipsi hæc beneficia denegaverint, ideo rectius dicitur, vocabulum fratribus ex superiore sententiâ huc referendum ac subintelligendum hic relinqui. Sensus igitur est. Non fuit vobis ignotum, sed in verbo meo patefactum & sæpius vobis inculcatum, pauperculos illos esse mystici corporis mei membra & meos fratres, ac proinde quod illis denegatur, illud mihi ipsi à vobis denegari. Cum ergo verbo meo nolueritis fidem habere, cumque incredulitatem & duritiam cordis vestri omissione voluntaria operum caritatis satis superque testatam feceritis, ideo iustum

pro factis vestris vobis irrogatur supplicium. Apparet autem ex hoc loco 1. Deum majorem rationem habere rei, quàm verborum, ac cordis potius affectum, quàm oris motum respicere. *Injusti* (inquit Chrysofostomus in h. l.) *satis modestè videntur respondere, sed nihil emolumenti eâ ex re consequuntur, & moritò quidem, quia rem neglexerunt, quæ semper ipsi curæ fuit:* 2. Hypocritas in hac vita de intermissis operibus caritatis sese excusare prætextu operum ad divinum cultum & religionem immediate spectantium. *Si te ipsum vidissemus esurientem, inquit, utique non defuisset tibi nostra opera.* Sic Sacerdos & Levita Hierosolymam ad offerenda sacrificia propter atque interim vulneratum sine auxilio & solatio relinquunt, Luc. 10. v. 3. 3. Eorum etiam proprium esse, Deum ipsum in jus vocare, Esa. 1. v. 18. Dei iudicia reprehendere, de abundantia operum suorum gloriari, magna affectare, atque interim maxime necessaria negligere. 4. Non profuturos reprobis vanos & inanes prætextus, quibus suam in studio pietatis & exercitio caritatis negligentiam excusare conantes semetipsos pessime decipiunt. 5. Auribus & cordibus nostris perpetuò insonare debere illud Christi oraculum: *Quod uni ex his minimis non fecistis, mihi non fecistis.* Quanta impietatis est Christo in pauperibus fratribus cibum, potum, vestem &c. petenti tantillum periturorum bonorum denegare, qui sanguinem, vitam, animam, seque totum nobis impendit!

2. *Promulgationem sententiæ sine mora sequetur parata executio.* Et ibunt hi, injusti scilicet, in supplicium aeternum, iusti verò in vitam aeternam. Quidam putant hæc esse verba Evangelistæ, sed rectius accipiuntur ut verba ipsius Christi, cum ad descriptionem integri processus iudicarii pertineant. Quem admodum amicissima piorum ad regnum cœlestis capessendum invitatio non erit vana & inanis promissio: ita quoque horribilis illa impiorum ignem aeternum alegationio non erit fulgur ex pelvi & vanum terriculamentum, sed sententiæ utriusque parti lata sine ulla exceptione, dilatione, appellatione, replicatione, leutatione &c. executioni statim mandabitur. In hac vita etiam post definitivam sententiâ varia quæruntur subterfugia, quibus executio sententiæ suspenditur; provocatur vel ad revisionem actorum & à iudice malè informato ad melius informandum, vel ad superiorem iudicem, sed neutrum horum in die extremi iudicii locum habet, quia ut iudex ille est sapientissimus, ita quoque est summus, neminem superiorem recognoscens. In hac vita sententiâ non statim transit in rem iudicatam, sed decendium condemnato ad sui defensionem conceditur: sed ibi nulla erit mora inter sententiæ promulgationem & executionem. Ut ibi erit veritas in inquisitione & nuditas in publicatione, ita quoque severitas & celeritas in executione. Ut ibi conspicietur iudicis majestas in sessione super thronum gloriae, autoritas in congregatione omnium gentium ante tribunal iudicarium, prudentia in separatione, æquitas in decisione, ita quoque potentia ejus conspicietur in executione. *Nemo poterit, ait Chrysofostomus in h. l. potestatem huius iudicis effugere, sapientiam fallere, æquitatem stectere, iudicium retrahere. Ille iudex, ait Augustinus l. 3. de fid. & symb. nec gratiâ prævenitur, nec misericordiâ stectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec penitentiâ vel satisfactio-*  
ne mi-

ne mitigabitur. In hac vita ipsius Dei sententia potest mutari per feriam pœnitentiam Jerem. 18. v. 9. sed in die iudicii nec pœnitentiæ nec veniæ amplius erit locus. In hac vita si nullum aliud suppetit remedium, condemnati in iudicio humano confugiunt ad supplicationes & anxie quarunt aliorum intercessionem, sed neutrum horum in die extremi iudicii locum habebit. Chrysoft. homil. 22. ad populum. Antioch. Vide non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsus & neminem pro illo intercedentem. Vide talentum habentem concreditum, ac non negotiantem, quomodo pro illo nemo intercedat, Respicite quinque virgines exclusas & æquales pro ipsis non deprecatas. Hæc omnia Christus breviter complectitur, quando concionem hanc de processu extremi iudicii concludit tali epiphonemate. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Particula *καὶ* non solum est nota ordinis ac temporis, quod statim post promulgationem sententiæ impii sint in infernum præcipitandi, sed etiam simul illativa. Quia supremus iudex reprobis ejusmodi sententiam immutabilem dictavit, ideo ibunt in supplicium æternum, nihil enim quicquam erit, quod decretum illud impedire, vel remoram aliquam ei objicere poterit. Quod reprobi ne quidem nominantur, sed simpliciter dicitur, *ibunt ἔσται hi in supplicium*, cum contrafalvandi dicantur *iusti*, illud ignominia & contentui tribuendum, quod ne quidem nomine Christus eosdem dignetur, sicut etiam Luc. 16. v. 20. pius Lazarus nominatur, sed impii divitis nomen oblivione sepelitur. Verbum *ἀπελευσονται* hic non significat spontaneam aliquam abitionem, sed potius invitam & coactam depulsionem, quod terrâ ipsis dihilicente impii projiciendi sint in ignem infernale, unde Matth. 13. v. 42, hæc abito sic describitur, *mittet Filius hominis Angelos suos & colligent de regno ejus omnia scandala & eos, qui faciunt iniquitatem* v. 42. *καὶ βαλεῖσιν & mittent sive abicient eos in caminum ignis*. In hac significatione Verbum *ἀπέρχει* fere usurpatur Luc. 8. vers. 31. *Dæmonia rogaverunt illum, ne imperaret illis eis ἀβυσσόν ἀπέλθειν* quod Marc. 5. v. 7. exponitur, *μή με βασιλεύσῃς LXX.* utuntur pro *ἔσται* Prov. 20. v. 14. Dan. 6. v. 18. quod significat *abripit, raptim aufert*, ita ut nihil ejus amplius superfit. Item pro *ἔσται* Esa. 24. v. 11. cap. 38. v. 12. quod significat *transmigrare, captivum duci*, unde alibi illud reddunt per *ἀποικίζῃν* *transferri, abigi* 1. Sam. 4. vers. 23. 2. Reg. 15. vers. 29. *αὐχμαλώτῃ* *captivum duci* Ezech. 13. vers. 3. *ἐλκύνει τραβή* Job. 20. vers. 28. &c. Ergo impii non sponte & voluntarie ibunt in ignem infernale, sed eò pertrahentur & abicientur ab Angelis juxta interpretationem Christi. Matth. 13. vers. 42. Quidam hoc accipiunt de malis Angelis, qui absolute sine addito προσδιορισμῷ in Scripturis quandoque dicuntur *Angeli* Act. 23. vers. 8. Roman. 8. vers. 38. 1. Corint. 6. vers. 3. sed rectius accipitur de bonis Angelis, tum quia dicuntur Angeli Christi, cum contra mali dicantur Angeli Diaboli Matth. 25. v. 41. Apoc. 12. vers. 7. tum quia congregatio electorum, à quatuor ventis ipsis tribuitur Matth. 24. v. 31. tum quia etiam Diaboli in infernum detrudentur, utique non à sociis suis, sed à bonis Angelis Apoc. 20. vers. 3. Augustinus lib. 1. quæstion. Evang. c. 10. Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

Officia vindictæ possunt implere boni Angeli bono animo, quomodo lex, quomodo iudex, officia verò misericordiam mali implere non possunt. Ibunt autem reprobi in supplicium æternum, quia radius ille igneus, id est, sententia damnatoria à throno iudicis procedens Dan. 7. vers. 10. horribiliter instar fulminis eos prosterneat & in cordibus ipsorum in omnem æternitatem sonabit. Aperietur terra divina potentia, eosque deglutiet, ut vivi descendant in infernum, sicut quondam Core, Dathan & Abirran: Numer. decim. sext. vers. trigesimo primo, Psal. 106. v. 17. in promulgatione sententiæ dictum fuerat, *discedite in ignem æternum*, in exultatione dicitur, *ibunt in supplicium æternum*. Ergo per ignem æternum denotatur æternum reproborum supplicium, inde Cyprian. serm. de elemos. August. in. lib. de Spiritu & litera cap. 33. & tract. 21. in Joh pro nomine supplicii hic leguntur *ambustionem sive combustionem*, quia ignis supplicium est combustio, malunt tamen dicere *ambustionem*, quàm *combustionem*, ne reprobi igne illo videantur comburendi, cum ignis ille sic consumpturus sit, ut semper reseruet, ac tormenta sic irroganda, ut semper renoventur. Bernh. in medit. devot. cap. 3. *Animam immortaliter morientem reatus involvet & indeficienter non deficientem carnem gehenna consumet*, ut loquitur Hincmarus Rhemensis in Epist. ad Hincmarum Lundunens. cap. 54. Sed Græca vox *κόλασις* non significat combustionem vel ambustionem, sed *pœnam, cruciatum, supplicium*, unde Basilius in Pl. 34. describens tres gradus pœnarum infernalium *πῦρ ἀκόλασις* distinguit. Dicit enim ibi fore *πῦρ ἀλαμπές τῷ μὲν καύσειν δύναμιν ἔχει, τὸ δὲ φέγγει ἀφρημένον ἔσται σκαληκῶν γένος ἰοβαλον καὶ σαρχοφάγον, ἀπληρώτως ἐσθίων καὶ μηδέποτε κορεννόμενον, ἀφορητὸς ὁ δύναις ἐμπέδῃ τῇ καταιερίῳ ἔπει τῷ πῦρ ὅσον χαλεπώτατος κόλασιν τὸν οὐρανὸν ἐκείνον καὶ τῷ αἰὶνῶν τῷ αἰώνιον, ignem obscurum & lucis expertem & carne urentem, deinde vermium genus venena jaculans & carnem absumens, quod nunquam saturatur & intolerabiles dolores arrodendo excitat, postremo omnium gravissimam pœnam videlicet æternum probum 1. Joh. 4. vers. 18. vocula *κόλασις* usurpatur de terroribus conscientia à timore servili ortis, qui sunt initia & quasi prægustus quidam æternorum cruciatuum. Sap. 11. v. 5. & 14. cap. 16. v. 2. c. 19. v. 4. usurpatur de plagis Ægyptiacis, quæ fuerunt typi infernalium pœnarum. LXX. *λαμβάνει τῷ κόλασιν* Ezech. 43. v. 11. ponunt pro *ἔσται* ignominia affici *καταιελέει*, quod congruit cum Dan. 12. v. 2. *quidam resurgent ad opprobria*. Ezech. 14. v. 3. cap. 18. v. 30. cap. 44. v. 12. utuntur pro *ἔσται* quod significat *casum, ruinam, exitium*. Syrus h. l. habet nomen *ἔσται* quod significat *suspensionem, strangulationem, suffocationem*. Innuitur igitur reprobos tales angustias indefinenter sensuros, quales experiuntur, qui fune vel aquis suffocantur Psal. 25. v. 17. Act. 20. v. 38. Emphasis etiam est in phrasi *ibunt in supplicium*. Quemadmodum enim in præcedente parabola fidelis servus jubetur *ire in gaudium*, quia gaudium erit quasi ipsius cubiculum: quo undique cingetur & suaviter in eo requiescet: sic reprobi hic dicuntur *abiturum in ipsum supplicium*, quia supplicium erit quasi ipsorum cubiculum & habitaculum, quo undiq; cingentur ut nullus ex eo pateat exitus, nullus*

nullus gaudio in illud pateat introitus. Augustinus observavit, Christum illud, quod superius dixerat reprobos abituros *in ignem aeternum*, hic interpretari per *supplicium aeternum*, ne quis reprobis licet in loco aeterno supplicii agentibus, aliquid tamen remissionis & quietis in eo cum Origene polliceatur. Ut ignis erit aeternus & inextinguibilis, ita quoque supplicium, quod damnati ab igne sentient, erit aeternum, id est, nec interruptum, nec unquam desitutum. Potest etiam ordo, qui in executione observatur, aliquid monere, neque enim sine causâ prius dicuntur reprobi abituri in supplicium aeternum, quam iusti in vitam aeternam, cum tamen prius iusti fuerint vocati ad regni possessionem, quam reprobi abire iusti in ignis infernalis ambustionem. Quidam existimant tantum ob seriem textus id esse factum, quia proximè præcesserit sententia condemnatoria adversos impios promulgata. Sed rectius statuitur simul insinuari, quod impii in conspectu iustorum coram tribunali Christi adhuc stantium sint abituri in aeternum supplicium. Id enim primò congruit parallelis Scripturæ dictis, Matth. 13. v. 30. *Colligite vicia zizania, triticum autem congregate in horreum*, v. 41. *mittet Filius hominis Angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala & eos, qui faciunt iniquitatem*, v. 42. *& mittent eos in caninum ignis*, v. 43. *tòte tunc iusti fulgebunt sicut Sol* Apoc. 20. v. 15. *Qui non inventi sunt in libro vite, missi sunt in stagnum ignis, tunc demum* Apoc. 21. v. 1. *vidit Johannes cælum novum ac terram novam*. Secundò faciet hoc ad augmentum cruciatus ac doloris in reprobis. Mirè enim cruciabantur aspectu felicitatis iustorum remanentium ad dextram iudicis, ad quos dictum esse audiverunt. *Venite benedicti possidere regnum*. Tertiò faciet id ipsam ad augmentum gaudii & felicitatis electorum, quod impios in supplicium abire coram videbunt, quia ex comparatione suæ felicitatis cum illorum miseria magis Dei erga se gratiam & benignitatem agnoscent, contemplantur in illis quidem Dei severitatem, in se verò bonitatem Rom. 11. v. 22. Glossa interlinearis addit hanc rationem, *Tollitur impius, ne videat gloriam Dei*. Hæc Dei gloria plenissimâ luce tunc conspicietur in electis & iustis qui postquam impii, in aeternum supplicium præcipitati sunt, *statim ibunt in vitam aeternam*. Repetit Christus vocem *iustorum*, ut ostendat, tum quod causa immediata, adæquata & proxima salutis sit iustitia fidei, sive quod idem est, iustitia Christi per fidem apprehensa, tum quod electi in vitam futuri sint perfectè iusti, utpote ab omni peccati labe penitus liberati. Quod iusti dicuntur *ituri in vitam aeternam*, longè alio sensu accipiendum, quam quo reprobi dicuntur *ituri in supplicium aeternum*. Iusti enim sponte & magnâ cum voluptate abibunt, *raptentur in nubibus obviam Christo in aere* 1. Thess. 4. v. 17. tum per dotem agilitatis in glorificationis corporibus, tum per ministerium Angelorum ipsos in cælum subvehentium, *ut semper sint cum Domino*, id est, æternâ lætitiâ & felicitate cum ipso perfruantur. Hanc felicitatem beatorum Christus hoc loco juxta vulgatam Scripturæ phrasin vocat *vitam aeternam*. Johan. 3. v. 16. Tit. 3. v. 7. &c. ubi vitæ nomine non intelligitur nuda viventis existentia ab unione animæ & corporis dependens, ea enim & piis in cælo & damnatis in inferno erit communis, sed beatissima & felicissima viventis

conditio, quæ à beatifica Dei viventis visione & corporis ac animæ glorificatione dependet, per quam pii à damnatis vel maximè distinguuntur. Quomodo verò Dei vivere non est nudum esse & existere, sed beatissimè, tranquillissimè & felicissimè vivere: sic piorum in cælis triumphantium vivere non per nudam existentiam, sed per beatissimam, tranquillissimam & felicissimam vitam definiendum. Id ipsum intelligitur ex eo, quod in promulgatione sententiæ dicitur *regnum paratum à constitutione mundi*, quod hoc loco dicitur *vita*. Ergo vitæ nomine hic insinuatur vita ab omni dolore & malopoenitus libera, vita beata & cælestis, qualem ducent illi, qui Deo in cælis regnant. Inde est, quod damnatis etiam per unionem animæ & corporis victuri sint, nunquam tamen in Scripturis tribuatur vita, sed potius mors & interitus Joh. 8. v. 51. Apoc. 2. v. 11. cap. 20. v. 6. cap. 21. v. 8. &c. quia *vita erit bis sine fine* & *mors vivere panis*, ut loquitur Paulinus de obitu Celsi. *Sic morientur, ut semper vivant, sic vivent, ut semper moriantur*, ait Bernhard. in mediet. col. 1193. *Vita erit mortifera & mors immortalis*. Quinimo nec *vita nec mors est*, quia in utraque aliquid boni invenitur, in vita requies est, in morte terminum, sed miseria damnatorum nec requiem habebit, nec terminum. Quid ergo erit? *malum vitæ & malum mortis*, à mortu cruciatus habebit sine fine, à vitæ durationem accipiet sine requie. Contrâ verò beatorum vita vere erit vita, quia erunt in beatissimo & felicissimo statu, & quidem hac felicitate perfruentur in aeternum, unde vocatur *vita aeterna*, quæ nec fatietatem, nec finem, nec terminum habebit. In vitam illam aeternam intrabunt electi; id est, plenè & perfectè ejus participes fient, excipientur à vitâ, fruentur vitâ, cingentur vitâ, sicut de reprobis dictum, quod *intrabunt in supplicium aeternum*, id est, in gradu summo ejus participes reddentur, eodemque in aeternum torquebuntur. Atque hoc est bivium illud, in quo separabuntur in die iudicii, qui in hac vita promiscuè vixerunt; hoc est illud infallibile & immutabile decretum, quo aeterna mansio & habitatio unicuique sine ulla spe mutationis assignabitur; hæc est illa janua, per quam quilibet vel in aeternam mortem, vel in aeternam vitam intrabit. Nec est, quod quis regeratur, statim à morte piorum animas ab Angelis portari in cælum, impiorum verò detrudi in infernum. Nam 1. iudicis novissimus adventus multos deprehendet adhuc vivos, quibus sententia vel vitæ vel mortis erit ferenda. 2. Tunc & piorum & impiorum prius defunctorum animæ cum corporibus redunientur, ut sic in corporibus recipiant, *que per corpora gesserunt sive bona sive mala* 2. Cor. 5. 10. 3. inde & piorum gaudia & impiorum supplicia multis modis in die iudicii augebuntur. 4. Sed & in publico illo totius mundi iudicio coram Angelis & hominibus publicè præmia vel supplicia recipient, qui occulto Dei iudicio ea prius receperunt; 5. Iudicia, quæ post cuiusque mortem exercentur, sunt particularia, sed illud erit universale & œcumenicum iudicium. Variæ autem ex hac sententiæ executione peti possunt observationes. 1. Christus habet *claves inferni* Apoc. 1. 18. quia per potestatem suam in fine seculi portas inferni aperiet, inque illum Diabolum & sectatores ejus sine fine cruciandos includet, quæ est Richardi de S. Victore expositio, quæ cum reliquis coniungi potest. 2. Atrocitas infernalium poenarum denota-

denotatur per κόλασιν. Infernus quantus quantus erit, nil nisi supplicium erit. 3. Ergo non definiendus est infernus cum Photinianis per damnatorum ἀποπέθειαν. 4. Pœnæ infernales erunt æternæ, ex quibus nulla speranda liberatio. Quo enim sensu vita beatorum dicitur æterna, eo sensu supplicium damnatorum dicitur æternum, ut ostendit oppositio. Jam verò vita beatorum sensu eo dicitur æterna, quod nullum unquam tempore sit finienda. Ergo etiam eodem sensu supplicium damnatorum æternum dicitur. Augustini hæc est observatio, quam Origeni & ejus asseclis, doctoribus misericordibus, quos ita vocat, frequenter opponit lib. contra Priscill. & Orig. cap. 6. *Si misericordia nos provocat credere, non futurum impiorum sine fine supplicium, quid de premio justorum credituri sumus, cum in utraq; parte, in eodem loco, eadem sententiâ, eodem verbo pronuncietur æternitas?* lib. 21. de civ. Dei cap. 23. *Quale est æternum supplicium pro igne diuturni temporis non existimare & vitam æternam credere sine fine, cum Christus in eodem ipso loco, in una eademq; sententiâ dixerit, utrumq; complexus, sic ibunt iniusti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam?* Si utrumq; æternum, profectò aut utrumq; cum sine diuturnum, aut utrumq; sine fine perpetuum intelligi debet. Par pari enim relata sunt; hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemq; sensu, vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est. Unde quia vita æterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoq; æternum quibus erit, finem procul dubio non habebit. Confer lib ejusd. cap. 17. in Enchir. c. 112. Gregor. lib. 4. Dialect. cap. 44. Theophylactum in cap. 25. Matth. ubi contra eos, qui æternitatem infernalium suppliciorum negarunt, disputatur. In tr. de inferno §. 57 & seqq. eadem multis fuit confirmata ac §. 62 enumerati, qui eam negarunt. 5. Neq; pugnat cum divina vel justitia vel misericordia pro peccatis temporalibus æterna irrogare supplicia, sed multis rationibus demonstrari potest, divinæ justitiæ illud optimè congruere, quas exposuimus d. tr. §. 60. 6. Augustinus contra Pelagianos ex hoc loco probat, duo tantum esse hominum receptacula post hanc vitam, nec ullum ulli esse medium locum, ut possit esse miscum Diabolo, qui non est cum Christo lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 28. ubi cum primis urget, quod Christus hic appellet vitam æternam, quod prius vocaverat regnum. 7. Ut in domo Dei, videlicet in celo, ita quoq; in carcere, videlicet in inferno sunt mansiones multæ, hoc est, & gloriæ celestis & infernalium suppliciorum erunt certi gradus, ut multis ostendimus tract. de Inferno §. 75. & de vit. æterna §. 120. & seqq. 8. Christus post suum adventum non inchoabit terrenum aliquod regnum per mille annos cum impiis ante resurrectionem impiorum administrandum, quia adventus Christi novissimus, resurrectio mortuorum, extremum judicium, glorificatio piorum, damnatio impiorum & hoc loco & in aliis Scripturæ dictis immediato & indivulso nexu conjunguntur. Confer tract. de consumm. seculi §. 67. & seqq. 9. Denique quæcunq; de usu articulorum de Inferno & vita æterna tum theoretico, tum pratico latè dicta sunt sub finem tractatum de his articulis editorum, ea omnia huc referri possunt & debent, quia Christus utriusque articuli brevem quandam epitomen in his verbis nobis proposuit.

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda

Coronidis loco commendat Lucas studium docendi in Christo & studium discendi in populo. De Christo dicit, *Docebat autem interdum in templo, noctu vero exiens diversabatur in monte, qui vocatur olivarum.* Similia ferè commemoraverat cap. 19. v. 47. *Et docebat quotidie in templo, quæ verba exposuimus in cap. 146. Harmo. ubi ostendimus, phrasin ἡν δίδασκων notare perseverantiam in docendo & continuum quasi docendi actum, quia ut ibidem additur, docebat τὸ καὶ ἡμέραν singulis diebus inter diem ingressus regii & diem passionis interjectis, & quidem à tempore matutino usq; ad vesperam, circa quam egrediebatur Bethaniam, ut habent Matthæus c. 21. v. 17. & Marcus c. 11. vel in montem olivarum, ut hoc loco habet Lucas, inter quæ duo nulla est contrarietas. Prius enim ex urbe Hierosolyma cœnæ sumendæ causâ conferebat se Bethaniam, postea orationis causâ à Bethania in montem oliveti revertebatur, in eoque pernoctabat, ex quo manè sequentis diei in urbem se recipiebat, ut sic tempus diurnum laboribus, nocturnum verò precibus tribueret: vel statuendum, quod Lucas de duobus ultimis diebus ante passionem, videlicet de feria quarta & quinta loquatur; Matthæus & Lucas de tribus primis diebus, videlicet feria prima, secunda & tertia. Si priorem explanationem sequi velimus, tum illud, quod Marcus dicit, postridie diei Palmarum Christum à Bethania manè rediisse in civitatem c. 11. v. 12. vel accipiendum est de termino remotiore, quod scilicet Bethania circa vesperam diei præcedentis egressus fuerit in montem olivarum & postea ex monte olivarum mane in urbem progressus fuerit, vel peculiariter de nocte diem Dominicam sive Palmarum ut & feriam secundam insecuta intelligendum, quod eas Bethaniæ transegerit integras, sed reliquis noctibus, dies, Martis & Mercurii secutis, à Bethaniâ post cibum sumtum in montem oliveti sese contulerit, ut hoc loco habet Lucas; vel quod synecdochicè per Bethaniam sitam ad radices montis oliveti intelligatur mons olivarum inter Bethaniam & Hierosolymam interjectus, quò referri potest, quod Drusius statuit, Bethaniam non tam vicinam aut villam fuisse, quàm certum quendam tractum montis oliveti, in quo fuit domus Lazari, cui sententiæ confirmandæ inservit, quod Christus Luc. 24. v. 50. discipulos in Bethaniam eduxisse dicitur, cum eos in montem oliveti deduceret. Item quod Christus Hierosolymæ nomine vicina etiam loca complectitur Luc. 13. v. 33. Quicquid sit, illud manifestum est ex hoc loco, quod Christus, quæ verbo accepit, suo confirmata dederit exemplo ut Beda in h. l. monet. Nam impendente passionis suæ tempore, doctrinæ, vigiliæ & precibus instabat, eos, pro quibus passurus erat, vel verbo ad fidem provocans, vel Patri oratione commendans. *Noctū secedebat in montem, inquit, Theophy. in h. l. monstrans nobis, quod oporteat, nocte quidem per quietem colloqui cum Deo, die autem morem gerere & prodesse hominibus. Et congregare quidem nocte, die autem congregata distribuere. Nobis hæc prætulit, ut apud fluentia nocte quidem accipiamus orationis fluxum ex spiritualibus venis, die autem effundamus hausta iis, qui opus habent.* Tertullianus ad hunc Christi in montem oliveti secessum accommodat vaticinium Zachariæ cap. 14. v. 4. *Stabunt pedes ejus in monte elæoni. lib. 4. adv. Marc. cap. 39. Nobis convenit**

Hhhh 4 sanctis

tandis hinc Christi vestigiis insistere, nullis periculis, nullis hostium minis à confessione & prædicatione Evangelii dimoveri, per preces ad instantem mortis horam nos præparare ac munire, ac totum vitæ spacium aliorum commodis, præsertim verò salutem eorum promovendam tribuere. De verbo *ἀκούει* & de causis, propter quas Christus noluerit noctu Hierosolymis apud quendam civium divertit, diximus superius in cap. 147. Studium discendi in populo describit Lucas hinc verbis. *Et omnis populus diluculo venit ad eum, ut in templo audiret eum.* Illud cap. 19. v. 48. sic exprimitur, *totus populus ἐξερρέματα pendebat ab ore eius, cum audiret illum.* Verbum *ἀκούει*, quo hoc loco Evangelista utitur, est idem cum *ἀκούει* matutinum aliquid agere, vel mane surgere ad aliquid conficiendum. Tob. 9. v. 4. Sap. 6. v. 14. Sir. 4. v. 13. &c. LXX. utuntur pro *קרא* ad ortum auroræ aliquid fecit Job. 7. v. 20. cap. 8. v. 5. Pl. 63. v. 2. *Deus meus* *אֶרְאֶה* *אֶת* *אֱלֹהִים*, quem locum Theophylactus huc accommodat. *Si quis*, inquit, *vidisset populum ita mane ad audiendum confluentem, diceret congruere illud Davidis, Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.* Pl. 77. v. 38. Esa. 26. v. 9. Osee 6. v. 1. Item pro *קרא* in Hiphil mane surgere. Gen. 19. v. 2. & 27. cap. 20. v. 8. Exod. 8. v. 20. &c. Syrus habet verbum *קרא* *prævenit, antevertit, præoccupavit.* Sensus igitur est, quòd quamvis Christus summo mane in templum venerit, populus tamen desiderio ipsum (vel ut Syrus habet *sermonem eius*) audiendi accensus eum prævenit. *Vulgata reddidit manicabat, quod corruptum videtur ex duobus verbis Latinis in unum contractis mane ibat, quo modo in vetustis Codd. Latinis legi notat Stapulensis; unde nec ipsius Augustini aures eam ferre potuerunt, notat enim quæst. 46. in libr. Judicum, quosdam eam exposuisse per *maturabat.* Rectius verteretur, *matutinabat, diluculabat.* Tertullianus lib. 4. adv. Marc. cap. 39. huc accommodat dictum Esa. 50. v. 4. *Erant, inquit, hora auditorio competentes. Diluculo conveniendum erat, quia per Esaiam cum dixisset Dominus. Dat mihi linguam discipline, adjecit. Apposuit mihi mane aurem ad audiendum.* Ardor ille discendi in populo exemplo nobis esse debet, ut *mane ad Deum vigilemus* Pl. 5. v. 5. Pl. 63. v. 2. Esa. 26. v. 9. *Qui enim mane vigilaverint ad eum, invenient eum.* Prov. 18. v. 17. Popu-*

lus hic non fuit veritus Minas Sacerdotum & Pharisæorum, quò minus Christo adhæreret & ab ore docentis penderet: sic nullis mundi odiis vel periculis à Christo & Evangelio ejus nos patiamur detereri. Ita fiet, ut Christus nobiscum manere & nos in cognitione divinorum mysteriorum quotidie ulterius provehere delectetur, sicut hoc loco ardore illo discendi invitatus quotidie in templo docet. Præ ludium etiam hic proponitur interitus Synagoga Judaicæ & incrementi Ecclesiæ Christianæ. Sacerdotes Hierosolymitani tempore Paschatos in sacrificiis paschalibus & Ceremoniis legalibus occupati sunt, sed paucos habent affectas, ad Christum verò certatim omnes confluent & quidem ante Iacaná industriâ ipsum in templo antevertunt. Insuper singulari providentiâ divinâ factum, quod hæc ratione impedita fuerunt insidiæ, quas Pontifices Christo struebant. Quia enim populus Christum in templo summo mane expectabat, inde metu populi non audebant Christo manus injicere. Denique quemadmodum Christus ultimis ante abitum suum ex hoc mundo diebus in docendo fuit assiduus, ita testatur omnium temporum Historia, quod post lucem veritatis clarissimè resurgente statim consequi soleant tenebræ. Verbum Dei quo magis abundat, eò minoris plerumque æstimatur, quem contentum privatione verbi Deus è vestigio punire consuevit, sicut annos fertilitatis in Ægypto sequebantur anni sterilitatis, unde Christus Judæis dicit Joh. 12. v. 35. *Ahuc modico tempore lumen nobiscum est, ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant v. 36. dum lucem habetis, credite in lucem.* Quamvis verò populus hoc loco non videatur contentu & fastidio verbi peccare, cum magno ardore ab ore Christi docentis pendeat, tamen Proceres populi perversaciter Christum & verbum ejus contemnunt, quin & in ipso populo ardor ille citò refrigit, quando post biduum vel triduum à Sacerdotibus & Scribis impulsu unanimiter clamârunt *Crucifige*, sicque doctorem suum publicè & solenniter repudiârunt. Nostrum est, tum universos Christi sermones, tum verò cum primis eum, quem de novissimo suo adventu & extremo iudicio ad discipulos habuit, memori mente perpetuò retinere & quotidie ad ipsum ingemiscere.

*Cum tuba magna sonum dederit, cum venerit hora  
Judicii, inter oves da mihi, Christe, locum,  
Sic mihi, sis Jesus, ne me maledictio tangat,  
Dulcis in aure sonet vox, benedicte, veni.*

## CAPUT CLXVI.

CHRISTUS PROXIME INSTANTEM PASSIONEM  
SUAM APOSTOLIS PRÆNUNCIAT.

MATTH. 26. V. 1. MARC. 14. VI. LUC. 22. V. 1.

## RATIO ORDINIS.

**S**eriem connexionis ostendit Matthæus, quando post consummatos sermones in monte oliueti ad discipulos de excidio templi & urbis Hierosolymæ, de consummatione seculi & extremo iudicio habitos Christum Apostolis suis dixisse asserit. *Scitis, quod post biduum pascha fit, & filius hominis traditur, ut crucifigatur.* Consentiant Marcus & Lucas, quia post descriptionem ejusdem concionis in monte oliueti habitæ, inq; epitomen quandam ab ipsis contractæ subjiciunt. *Erat autem pascha & azyma post biduum.* Item *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha.* Neque quidquam apud Johannem occurrit, quod interferi debeat. Quamvis enim quibusdam videatur, verba illa, *Ante diem pascha, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* huic prædictioni passionis à Matthæo descriptæ, vel certè præparationi agni paschalis præmittenda esse (quam posteriorem sententiam amplectitur Andr. Osander lib. 4. Harm. c. 8. secutus Gersonem in Monateffaro) cum Johannes generaliter describere videatur, quomodo Christus ante diem paschæ erga suos fuerit affectus, ipsa tamen textus series apud Johannem ostendit, præliminarem illam de Christi erga suos dilectione admonitionem, in specie ad lotionem pedum ab ipso referri, quippe in qua non solum humilitatis, sed etiam dilectionis specimen & exemplum Christus discipulis suis proponere voluit. Christum non in celebratione agni Paschalis, quippe quem jam antè aliquoties cum discipulis manducaverat; sed in lotione pedum, eamq; immediatè secuta corporis & sanguinis sui in Eucharistiæ Sacramento exhibitione singularem illum amorem, quem Johannes in his verbis commendat, demonstravit. Ergo hæc verba non sunt præparationi vel manducationi agni Paschalis præmittenda, sed ad Historiam de lotione pedum & Eucharistiæ institutionem referenda. Proinde concioni de urbis & orbis excidio immediatè subjungimus Christi prædictionem de traditione sui in mortem post biduum imminente, quem ordinem etiam probat Augustinus lib. 2. de consens. Evang. c. 78. Potest autem hæc series de multis utiliter nos monere. 1. Christus non solum eo fine in mundum venerat, ut consilium Dei de salute nostra nobis manifestaret Joh. 1. 18. Rom. 15. 8. & c. sed etiam ac præcipuè, ut opus redemptionis perficeret ac acerbissimâ suâ passione & morte pro totius mundi peccatis satisfaceret. Matt. 20. 28. Marc. 10. 45. Luc. 9. v. 56. 1. Joh. 3. v. 8. & c. Quare cum Evangelistæ prolixè hæctenus exposuerint, quomodo Christus tempore ministerii sui *Doctoris* officio functus fuerit, in posterum exponunt, quâ ratione *Re-*

*demtoris* munus peregerit, quomodo scilicet se ipsum morti sponte obtulerit, ut vitam & reliqua bona cœlestia per lapsum amissa humano generi repararet. Ac quia hic finis est præcipuus, propter quem Filius Dei in hunc mundum per carnis assumptionem venit, ideò omnes Evangelistæ Historiam passionis annotare voluerunt. 2. Christus prolixum hæctenus ad Apostolos suos habuerat sermonem de glorioso suo ad iudicium adventu ac de regno gloriæ, in quod omnes fideles suos aliquando introducturus sit, ne ergo ignarus aut immemor videretur ignominiosæ mortis sibi proximè instantis, ideò priori illi concioni mox subjicit prædictionem suæ passionis. Hilarius can. 28. in Matth. *Post sermonem, quo se venturum in reditu claritatis ostendebat, nunc passurum esse se admonet, ut Sacramentum crucis admixtum esse gloriæ eternitatis agnoscerent.* Voluit autem Christus hac concionis serie futuræ Judæorum & aliorum incredulorum calumniæ occurrere, quasi præposterè de rebus post aliquot demum secula futuris differens ignorarit mortem post biduum vel triduum sibi imminente. 3. Voluit insuper ostendere, se per passionem intrare in gloriam suam Luc. 24. v. 26. Quamvis enim non probemus nec probare possimus, quod Abulensis h. l. dicit, *Christum ideo post concionem de glorioso suo adventu predicere passionem, ut ostendat, quod merito passionis ad gloriam illam pervenerit, cum Christus (utpote cujus Natura humana in primo incarnationis momento in ipsam λόγος ὑπόστασις effecta ac donis verè divinis & infinitis personaliter communicatis fuit ditata) ratione sui nullo indiguerit merito, ut contra Pontificios, qui hanc Abulensis opinionem jam pridem fecere suam, in Exegesi de perf. Christi §. 330. latè demonstravimus: non tamen inficias imus, Christi gloriam in exaltatione ipsi secundum humanam Naturam collatam esse consequens ignominie & passionis in exinanitione prius toleratæ, ut testantur manifesta Scriptura dicta. Ps. 8. v. 6. Ps. 110. v. 7. Phil. 2. v. 9. Heb. 2. 9. 1. Petr. 1. v. 11. ad quam consequentiam Christum digitum hic intendere voluisse non dubitamus. 4. Eadem connexionis serie Christus occurrere voluit præconcepto discipulorum somnio de mundo ac terreno Messie regno. Etenim ne in contemplatione gloriosi adventus & regni, quod ipsis hæctenus prædixerat, quandoque corporale futurum sperabant, penitus defixi, obliviscerentur eorum, quæ de passione sua aliquoties jam antè ipsis prædixerat, ideò prædictionem passionis suæ repetit, ejusdemque complementum post biduum statim secuturum asserit. 5. Sed eadem operâ non solum Apostolos suos, verum etiam nos omnes monere voluit, non nisi per crucis viam aditum patere in cœlestis illius regni gloriam Act. 14. vers. 22. ac s.*